

INSTRUCTIO I

<ANGELA SE FATETUR MAXIMAM PECCATRICEM>

(Ista est quaedam humilitas)

Ista est quaedam humilitas in qua sum inabyssata, et abyssus istius humilitatis coepit mihi venire Dominica secunda in Quadragesima, sed non fixit se. Sed die lunae sequenti, in hora Completorii, ista abyssus in tantum fecit me videre et superabundare malitias meas et iniquitates et peccata mea, quod non videbam me posse ea manifestare et discooperire per aliquem modum nec per aliquam creaturam huius mundi. Nec verecundor dicere omnia peccata mea quae unquam feci coram toto mundo, sed gaudebam imaginari aliquem modum ut eas iniquitates et simulationes et peccata mea possem manifestare.

Et vellem ire nuda per civitates et plateas et appendere ad collum meum pisces et carnes dicendo: Haec est illa vilissima mulier, plena malitiae et simulationis et sentina omnium vitiorum et malorum, quae faciebam quadragesimas in cella ad famam hominum, et faciebam dicere omnibus qui invitabant nos 'Non comedo carnes nec pisces', et ego eram gulosa et plena gulae et comestrix et ebriosa. Et ostendebam quod non volebam recipere plus nisi quantum sufficiebat mihi, et ego faciebam reponi pro alio die. Studebam esse pauper exterius et male iacere et volebam continue iacere et dormire; et ubi iacebam proiciebam multos pannos, et de mane faciebam elevari ne personae perperderent.

Videte animae meae diabolum et cordis mei malitiam. Audiatis quomodo sum superbissima et filia superbiae et quomodo sum decepta et sum hypocrita et sum abominatio Dei quia ostendebam me esse filiam orationis, et ego eram filia irae et superbiae et diaboli; et ostendebam me habere Deum in anima et consolationes divinas in cella, et ego habebam diabolum in anima et in cella. Et quod toto tempore vitae meae studui quomodo possem adorari et honorari et quomodo possem habere famam sanctitatis. Et sciatis in veritate quod propter mal et simulationes quae sunt absconsa in corde meo, multas gentes decepi et sum homicida multarum gentium et animae meae.

Et postea, stando in abyssu supradicto, volvebam me illis, qui dicti sunt filii, et dicebam eis: Nolite mihi plus credere. Nonne videtis vos quomodo ego sum indaemoniata? Vos, qui dicti estis filii, rogate istam iustitiam Dei ut exeant daemonia de anima mea et manifestent nequissima opera mea ut non plus vituperetur Deus per me. Et nonne videtis vos quod omnia quae dixi vobis sunt falsa? Et nonne perpenditis quod si non esset malitia in toto mundo ego fornirem totum mundum de abundantia malitiae meae? Nolite mihi plus credere, nolite plus adorare idolum istud, quia intus in isto idolo iacet diabolus et omnia quae locuta sum vobis fuerunt verba simulativa et diabolica. Rogate istam iustitiam Dei ut cadat hoc idolum et frangatur et manifestentur opera mendacia et duplicia et verba inorpellata quae dicebam, quia inorpellabam me verbis divinis ut essem honorata pro Deo. Rogate Deum ut diaboli exeant de hoc idolo, ut mundus non plus decipiatur ab ista maledicta femina.

Unde rogo Filium Dei, quem non audeo nominare, quod si non vult per semetipsum manifestare, faciat manifestari per terram ut aperiatur et deglutiat me, ut dicant homines et mulieres: O quomodo erat inorpellata exterius, et interius erat ita tota simulativa. Et vellem mittere in gulam meam unam litortam et facere me extrasinari

per civitates et plateas, ut pueri ducerent me ac dicerent: Haec est illa mulier quae toto tempore vitae suae ostendit falsum pro vero; ut homines dicerent ac mulieres: O ecce magnum miraculum quod fecit Deus, quia fecit per semetipsam manifestari et dici suas iniquitates et malitias et simulationes et peccata quae toto tempore vitae suae absconse fecerat. Et istud dicere parum satisfaciebat animae.

Et sciatis quod sum posita in una desperatione quam nunquam habui isto modo, quia omnino desperavi de Deo et de bonis eius et feci certamen inter me et ipsum. Et ideo sum certa quod non sit in mundo aliqua creatura ita plena omni malitia et damnanda sicut ego sum, quia quidquid mihi Deus concessit et dedit, ad maiorem desperationem et damnationem meam permisit. Unde rogo vos omnes ut rogetis istam iustitiam Dei ut non plus tardet extrahere daemonium de idolo isto ut manifestentur nequissima opera sua quae intus sunt; quia corpus deficit caput dividitur propter multitudinem lacrimarum, et omnia ossa disiunguntur, quia non possum manifestare mendacia et malitias animae meae, sed gaudeo quia iam incoepit aliquid manifestari.

Et omnia ista sine aliqua humilitate in veritate videbam. Et scias quod tu qui scripsisti haec, imbalbutasti in comparatione omnium malorum meorum et iniquitatum et abusionum meorum, quando enim eram parvula operari coepi mala.

INSTRUCTIO II

<DE AMORE SPIRITUALI ET QUOMODO IDEM PERICLITARI POSSIT>

(Nihil est in mundo)

<Bonus amor armis idoneis protegendus est>

Interrogata pluries ista fidelis Christi ut de Deo loqueretur, coepit assignare falsitates et pericula quae sunt in amore spirituali et bono et deceptiones, dicens: Nihil est in mundo, nec homo nec diabolus nec aliqua res, quam habeam sic suspectam sicut amorem, quia amor penetrat animam plus quam aliquid; et nihil est quod ita totum cor occupet et liget sicut amor. Et ideo nisi habeantur arma quibus regatur, de levi praecipitat animam et facit magnam ruinam. Et hoc non dico de malo amore, quia malus amor ab omnibus debet totaliter refugi tamquam res diabolica et periculosa, sed dico de bono amore et spirituali qui est inter Deum, et animam inter proximum et proximum.

Contingit enim saepe quod duo vel tres mares vel feminae vel mixtim multum viscerose se diligunt et habent ad invicem magnas et singulares affectiones et faciunt sibi magna obsequia et multum ex corde et vellent quasi semper stare simul, et quidquid vult una pars vult alia. Unde hoc est valde reprehensibile multumque periculosum quantumcumque fiat spiritualiter et propter Deum, nisi habeantur arma praedicta. Nam amor quem habet anima ad Deum, nisi sit armatus sed si cum fervore sumatur, aut cito deficit aut aliqua sic inordinate sumuntur quod non possunt continuari. Amor vero proximi seu qui est inter devotos et devotas, nisi regatur armis, vel fit caro vel multum ad invicem conversando perdunt de tempore, quia eorum corda sunt nimis indiscrete ad invicem colligata. Unde propter malum amorem volo habere suspectum bonum.

<Arma ad amorem spiritualem regendum proferuntur et acquiruntur in triplici transformatione animae>

Arma vero quibus bonus amor debet regi, inveniuntur et dantur in animae transformatione. Est enim triplex animae transformatio: Aliquando enim anima transformatur in voluntatem Dei, aliquando cum Deo, aliquando intra Deum et Deus intra animam. Prima transformatio est quando anima conatur imitari opera istius Dei hominis passionati, quia in ipsis manifestatur et est manifestata voluntas Dei. Secunda transformatio est quando anima unitur Deo et habet magna sentimenta et magnas de Deo dulcedines, sed tamen possunt exprimi verbis et cogitari. Tertia transformatio est quando anima unione perfectissima est transformata intra Deum et Deus intra animam et altissima de Deo sentit et gustat, in tantum quod nullo modo possunt exprimi verbis nec cogitari.

Prima transformatio non facit ad praesentem materiam amoris. Secunda sufficit ad regendum amorem, si est bene viva. Sed tertia est summa.

<Processus gradatim describitur tertiae, et aliquo modo secundae, transformationis, nexu cum prima non excluso>

In ista enim tertia, et etiam in secunda sed non sic perfecte, infunditur animae a gratia quaedam sapientia qua mediante scit regere amorem Dei et proximi. Nam sentimenta, dulcedines et fervores de Deo scit anima ita sapienter componere quod durat amor et in his quae incipit potest perseverare, nec ostendit ea per risum et saltus et gestus corporis. Similiter in amore proximi vel devoti sic scit sapienter et mature se habere quod, quando est condescendum proximo, condescendit, et quando non, non condescendit. Et ratio horum est quia Deus est immutabilis, anima vero non potest esse immutabilis; sed quanto anima magis est unita Deo tanto minus habet de mutabilitate. Unde in tali unione anima acquirit dictam sapientiam et quamdam maturitatem et gravitatem sapientiae et sapidam discretionem et quoddam lumen, ita quod cum istis sic scit regere amorem Dei et proximi quod non potest decipi vel praecipitari. Et qui non sentit se tali sapientia infusum, nunquam deberet se cum aliquo vel cum aliqua ponere in tali amore singulari et visceroso quantumcumque fieret propter Deum et bona intentione, propter pericula quae eveniunt propter amorem; nec unquam aliquis alteri se colliget nisi prius addiscat se ab aliis separare.

Amor enim habet varias proprietates. Nam anima propter ipsum et in ipso primo tenerescit, secundo infirmatur, sed postea fortificatur. Cum enim sentit calorem amoris divini, clamat et rumorem facit ad instar lapidis qui ponitur in fornace resolvendus in calcem, qui, dum tangitur ab igne, crepitat, sed postquam fuerit coctus non facit aliquem rumorem. Sic anima in principio quaerit consolationes divinas quae, si subtrahantur, tenerescit et clamat contra ipsum Deum et conqueritur de ipso dicens: tu facis mihi hoc malum. Quare hoc facis? Et similia dicit. Et haec teneritudo nascitur ex quadam securitate quam sumit anima de Deo. Et in hoc statu stat contenta consolationibus et huiusmodi, sed ex carentia earum crescit amor et incipit quaerere Amatum, quem si non habet, infirmatur; nec contentatur tunc de consolationibus quia solum quaerit Amatum, et quanto plus habet de consolationibus et sentimentis, tanto plus crescit amor et tanto magis infirmatur nisi habeat praesentiam Amati.

Sed postquam anima perfecte unitur Deo et ponitur in sede veritatis, quae veritas est sedes animae, non clamat nec conqueritur de Deo nec tenerescit nec infirmatur, immo cognoscit se indignam omni bono et omni dono Dei et dignam maiori inferno quam sit ille qui factus est. Et ponitur in ea una sapientia et una maturitas, et fit stabilis et ordinata et adeo fortificata quod iret ad mortem; et habet Deum in plenitudine

quantum capere potest, et Deus etiam ipsam crescere facit ut fiat capax eius quod vult ponere in ea; et videt illum qui est, et videt quod omnia nihil sunt nisi in quantum habent esse ab illo qui est; et habet omnia quae praecesserunt pro nihilo comparative et etiam omnia creata; nec curat de morte nec infirmitate, honore vel vituperio. Et ita pacificatur et quietatur quod nihil appetit et perdit desideria, nec potest operari quia est victa; et ita videt in illo lumine Deum omnia ita debite et ordinate facere, quod etiam de eius absentia non infirmatur; et ita fit conformis voluntati eius quod eum absentem non requirit, sed de omnibus quae facit contentatur et totum ei committit.

Tunc autem ista vera sunt scilicet quod anima sic fortificata et quietata in isto amore perdit desideria nec potest operari quando habet dictam visionem Dei in dicta plenitudine; sed quando aufertur ei nulli enim animae conceditur quod semper in ea perseveret datur ei unum novum desiderium infocatum sine poena operandi opera paenitentiae fortius quam prius. Et ratio est quia iste status est perfectior ceteris aliis; perfectio habet hoc facere quia quanto maior, tanto magis conatur imitari magistrum perfectionis, scilicet istum Deum hominem passionatum.

Sed iste Deus homo passionatus habuit in tota vita sua unum solum statum, scilicet crucem. Nam in cruce incoepit, in cruce mediavit et in cruce finivit. Semper enim fuit in cruce paupertatis, doloris continui et despectus et oboedientiae verae et aliarum arduarum operationum paenitentiae. Et quia haereditas patris debet remanere in filiis et Deus Pater hanc haereditatem crucis et paenitentiae dedit unigenito Filio suo, debent omnes filii Dei, quanto sunt in maiori perfectione, hanc haereditatem habere et etiam continuare toto tempore vitae suae, quia iste Deus homo passionatus toto tempore vitae suae, quo vixit in mundo isto, vixit in amarissima cruce et paenitentia. Et haec est longitudo et terminus paenitentiae, scilicet quantum homo vivit; magnitudo vero eius est, quantum homo potest sustinere; et ista est transformatio in voluntate Dei. Cum vero anima transformatur in Deo vel intra Deum et est in illa perfecta unione et plenitudine visionis, non quaerit amplius; sed quando inde revertitur, nititur transformari in voluntatem Amati quousque redeat in illam visionem. Ipse autem ostendit voluntatem suam per dictas operationes crucis et paenitentiae, quas semper habuit in seipso. Ergo quanto quis est perfectior et plus amat Deum, tanto magis conatur facere quae ille fecit et vitare omnia quae ipsi Deo quocumque modo possunt esse contraria. Videmus enim quod quando quis perfecte diligit aliquem, nititur ei conformari in moribus et facere illa quae plus placent illi quem amat.

Et si aliqui, ut sunt illi qui dicuntur de spiritu libertatis, dicerent se perseverare in perdimento desideriorum et quod nunquam possunt aliquid appetere et quod nullo modo et in nullo tempore possunt aliquid operari, non est credendum quia non est verum. Et cogitent si operantur illicita nam bene possunt saltare, iocare, comedere splendide et inordinate et bibere, actus inhonestos et illicitos facere et si possunt et faciunt haec et alia mala et operari et desiderare possunt talia, multo magis, si Deum diligerent, deberent desiderare et operari quae sunt bona et placita Deo. Respiciant etiam ad istum patrem nostrum beatum Franciscum qui, cum esset speculum omnis sanctitatis et omnis perfectionis et exemplar omnium volentium spiritualiter vivere, cum esset prope finem, in tam excellentissimo statu et in tam ineffabili unione unitus cum Deo dixit: Fratres, incipiamus facere paenitentiam, quia usque modo parum profecimus.

<De amore imperfecto ac suspecto>

Sed multi credunt stare in amore, et stant in odio; et multi credunt habere amorem Dei, qui habent amorem carnis, mundi et diaboli. Unde aliquis amat Deum, ut custodiat eum ab infirmitatibus et tribulationibus corporalibus et temporalibus periculis. Amat etiam se inordinate in tantum quod de corpore suo facit animam et deum; amat etiam propter utilitatem istius dei, scilicet corporis sui, res temporales. Amat etiam amicos et consanguineos inordinate propter utilitatem suam et honorem. Amat etiam homines spirituales ut faciat sibi mantellum de sanctitate eorum, quamvis non vere diligit eos propter bonitatem eorum; et quia talis amor non est purus, ideo fructus taliter amantium est caro cum omnibus vitiis carnalibus et spiritualibus. Amat etiam habere sufficientias corporales ut sciat bene legere et cantare, et talia ad complacentiam aliorum. Amat etiam habere magnam scientiam ut sciat alios rationabiliter convincere et non caritative et possit alios corrigere cum superbia, ut reputetur aliquid.

Sunt et alii qui credunt amare Deum, et amant Deum sed amore infirmo et imperfecto. Amant enim aliqui Deum ut parcat eis peccata et liberet eos de inferno et det eis gloriam paradisi. Amant Deum ut conservet eos in bono statu et non offendant plus, ut non perdant paradysum. Amant etiam Deum ut habeant consolationes et dulcedines divinas. Amant Deum ut amentur a Deo. Amant etiam amicos et parentes spiritualiter quia desiderant ut sint spirituales et boni, et hoc propter se ut inde habeant utilitatem et honorem. Amant etiam ut Deus det eis sensum et scientiam et intellectum Scripturae illi qui sunt litterati, et illi qui non sunt litterati desiderant scientiam loquendi utiliter et spiritualiter pro utilitate aliorum, et hoc ut magis amentur et honorerentur. Amant etiam spirituales ut habeantur in numero spiritualium et diligantur a spiritualibus, et hoc pro sua utilitate spirituali et honore. Amant iterum habere paupertatem, humilitatem, oboedientiam, despectum et alias virtutes ut excellant in his virtutibus alios, et desiderant ut nullus alius possit approximare eorum perfectioni; et quia in via spiritus nolunt habere parem, videntur in hoc assimilari peccato Luciferi qui noluit habere aliquam creaturam parem. Et aliqui sunt qui, ut habeant famam universalem sanctitatis et ut universaliter commendentur a bonis et a malis de sanctitate, commendant ipsi universaliter omnes et spirituales et non spirituales.

Amat etiam aliquis fratrem suum vel devotum sive devotam amore spirituali et perfecto, quia amat eum totaliter in Deum sicut se. Et iste amor crescit, et crescendo habet hoc quia desiderat habere praesentiam amati; quam si non habeat infirmatur et si habeat crescit amor, et crescendo praeparatur ad maiorem infirmitatem propter absentiam amati. Et in hoc amore crescendo totaliter transformatur in amatum, ita quod omnia quae sibi placent placent ei, et quae displicent sibi displicent ei. Et quia anima non habet arma sufficientia ad regendum amoris fervorem qui continue crescit et non habet perfectam ordinationem, est necesse quod convertat amorem in istam inordinationem; et si amatus est in tali inordinatione ut careat praedictis armis et simili gladio amoris accutellatur, est valde plus timendum, quia tunc incipiunt sibi invicem manifestare secreta. Et inter alia manifestant sibi quomodo se invicem diligunt quia necesse est ut tractent ea quae sentiunt et dicunt ad alterutrum: Non est aliqua persona in mundo quam tantum diligam et tantum portem in corde. Et sic appetunt propter devotionem tangere se mutuo et etiam propter utilitatem spiritualem quia credunt quod non noceat, tamen adhuc ratio contradicit quia non est totaliter suffocata; sed quia postea ratio et spiritus videt immo credit quod tactus huiusmodi non noceant, permittit hoc facere; et hic incipit calare, id est deficere et cadere paulatim a statu perfectionis; et postquam ratio est aliquantulum suffocata, incipit

dicere et existimare dicens: Hoc potest fieri, quia non est magnum peccatum. Et postea, propter fervorem amoris transformativi, truncatur lingua et omnes potentiae ut non possit contradicere amato in omne quod vult; et quia propter inordinationem praedictam potest velle malum, non potest ei contradicere in malo si invitatur, et si non invitatur ipsa invitat. Et tunc retrahit se ab oratione, abstinencia, solitudine et ab omnibus virtutibus in quibus consueverat exercitare, et totum amorem divinum commutat in hunc amorem. Et postea in tantum amor fervet et crescit quod verbaamati et eius praesentia non satisfaciunt amanti, cui praesentia amati et eius verba solebant satisfacere, sed amans desiderat scire utrum amatus sic feriat sagitta amoris sicut amans; quod si scire potest, hoc est periculum utriusque, quia, postquam verba nec praesentia satisfaciunt, inclinatur amans et amatus ad omne opus vitiosum. Et ideo dico quod amor est omnino habendus suspectus super omnia, quia in ipso concluditur omne malum; unde, quousque non sunt in hoc amore perfecto, quae sunt amoris omnino sint omnia suspecta.

<Amor perfectus, cui nulla suspicio subest atque visione Summi Entis et Increati nixus>

Quia amor optimus et perfectus eo et sine defectu est ille quando anima est adextrata et ducta ad visionem esse Dei. Tunc quando anima est adextrata et ducta ad videndum esse Dei, videt quomodo omnis creatura habet esse ab illo qui est summum esse et videt quomodo omnia et omne quod habet esse, habet esse ab isto qui est summum esse; et videt quod non est aliud esse; et videt quomodo nihil est quod habeat esse, nisi ab hoc summo esse in quam visionem adextrata et ducta, anima trahit ab ipsa visione unam sapientiam ineffabilem, unam gravitatem sapientiae, unam sapientiam maturam; et trahit anima ab hac visione summi esse quod quidquid est ab isto summo esse est optimum, nec potest contradicere; quia in veritate videt quod omnia quae sunt ab ipso sunt optime facta, sed male est factum quando nos destruimus ea quae sunt facta ab isto summo esse. Haec enim visio istius summi esse excitat unum amorem correspondentem et sufficientem isti esse; nam istud summum esse docet nos amare omne quod habet esse ab ipso; et docet nos amare omne quod habet esse, scilicet omnem creaturam rationalem et irrationalem, amore ipsius summi esse; et docet nos amare creaturas rationales, maxime illas quas videt esse amatas et dilectas ab ipso summo esse sicut enim videt ipsum summum esse inclinatum per amorem in creaturas in tantum ipsa inclinatur in creaturas et facit me diligere amantes istius summi esse, qui cognoscuntur per certa signa.

Istud enim est signum manifestum illorum qui sunt in amicitia divina istius summi esse, qui sunt veraces sequaces Unigeniti istius summi esse, quia sunt semper suspensi oculis mentis suae ad amandum et sequendum et transformandum se totos et totaliter in voluntatem Amati, id est istius summi esse. Et quia anima eorum didicit quia habet visionem istius summi esse diligere istud summum esse citatus est amor ab ista visione istius summi esse, quia novit et scit amare istud summum esse, novit et scit amare creaturas secundum earum convenientias et plus et minus secundum inclinationem istius summi esse, et in nullo potest transire modum. Et ideo omnia quae sunt amoris sint omnino suspecta quousque hic amor a Deo datus fuerit animae. Et postquam anima habet visionem istius esse Dei et amorem sufficientem et correspondentem isti esse, remanet solidata ita quod, quamvis veniant aliae visiones et elevationes, de hoc non mutant eam. Et non solum qui habet hanc ineffabilem visionem Dei, scilicet istius esse Dei, sed qui haberet unum strictum pensare istius esse Dei, potest sufficere et estsufficiens ad expellendum omnem malitiam omnis

alterius amoris et potest bene resistere ad cultellum amoris.

Datur etiam animae visio Increati, quae visio dimittit in anima unum amorem increatum cui amori nihil potest operari est enim sine operibus sed amor ipse operatur. Sed quando anima habet visionem Increati nihil potest operari quia est totaliter absorpta ab ipsa visione, ita et amori increato nihil potest operari sed attendendum quod quando haec visio data fuit animae, anima operabatur et cum tota se desiderabat uniri cum isto Increato et rimabatur cum tota se quomodo melius posset uniri; tunc ipse Increatus operabatur ipsemet in anima et inspirabat sibi quomodo recederet ab omni re creata ut posset sibi melius uniri sed amor operatur et operationes amoris ipse amor operatur. Principium huius operationis est illuminare et etiam novum desiderium infocatum dare et unus amor fortis novus, ad quem amorem novum anima operatur et non operatur punctum, quia ipse amor increatus operatur; et ipse operatur omne bonum quod per nos operatur, et nos operamur omne malum. Et ista est vera annihilatio, videre in veritate quod nos non sumus operatores alicuius boni. Et isti sunt qui habent spiritum veritatis, qui vident istam praedictam veritatem. Et verus amor non apportat risum in ore, nec comedere nec bibere inordinatum, nec ullam alacritatem vanam, nec dicit operatio amoris “Non teneor alicui legis”, sed semper plus legi se subicit, immo etiam ubi non est lex facit sibi legem; et amor Dei nunquam stat otiosus etiam viam crucis corporaliter sequendo. Istud est signum operationis veri amoris, apportare crucem animae, id est paenitentiam longam quantum vivit et magnam et duram quantum potest.

Et tunc quando amor operatus fuerit operationes crucis et paenitentiae, id est postquam compleverit finem crucis et paenitentiae vivae, longae quantum vivit et arduae quantum potest, tunc videbo me in veritate servam inutilem; et si quid petere sibi voluero, petam propter paenitentiam quam fecit in me propter me. Istud est enim signum spiritus veritatis, cognoscere in veritate ipsum Deum esse totum amorem et cognoscere se totum odium.

Et habita in veritate hac cognitione ab anima, de necessitate oportet quod faciat paenitentiam corporalem. Quando anima facit aliquam paenitentiam et illa paenitentia est sibi gravis, et aliquando tantum gravis quod videtur sibi importabilis, et tunc videtur animae quod operetur ipsa, et in veritate non operatur ipsa sed operatur in ea ipse Increatus propter eam; aliquando facit sibi levem esse paenitentiam et adhuc hoc facit ad suam utilitatem. Nec miremur si operator aggravat nos de paenitentia, quia verus Magister venit ad faciendum paenitentiam pro nobis, et toto tempore vitae suae vixit in continua et amarissima cruce et paenitentia pro nobis. Et illi qui ad visionem Increati et ad visionem esse Dei elevantur, in cruce et in istis operibus virtuosus, ubicumque inveniuntur, ibi reponuntur et cum novo amore et infocato etiam ad viriliter operandum. Et illi qui non sunt in hoc spiritu veritatis faciunt sibi idola de istis operibus virtuosus, et primum idolum faciunt de divino lumine sibi dato.

INSTRUCTIO III

<EXIMIUS LIBER VITAE, SCILICET DOLOR CHRISTI, ORATIO ET PAUPERTAS>

(In Christo fuit dolor ineffabilis)

<Considerationes de doloris mysterio in vita Domini>

<septem maerores cordis Jesu ex ineffabili consilio Dei manantes>

In Christo fuit dolor ineffabilis, multiplex et occultus. Nam dolor fuit in Christo ineffabiliter acutissimus, qui fuit dispensabiliter ex ineffabili divina sapientia dispensatus in ipso. Haec enim divina dispensatio ineffabilis et aeterna cum ipso Christo ineffabiliter et aeternaliter cuncta summum dolorem sibi reddebat. Quanto enim divina dispensatio mirabilior, tanto Christo acutior et intentior fuit dolor. Et tantum acutissimus hic dolor et ineffabilis fuit et summus, ex ista divina dispensatione resultans, quod nullus intellectus est ita capax et largus quod illum unquam potuerit comprehendere. Ista enim divina dispensatio fuit fons et origo omnium dolorum Christi et in hac oriuntur et finiuntur. Fuit etiam in Christo dolor resultans ex ineffabili divino lumine sibi dato. Ipse enim Deus, ineffabile lumen, ineffabiliter Christum illuminans cum ista aeterna dispensatione ineffabiliter uniente et in ipso divino lumine transformata, tantum sibi hoc reddebat dolorem quod est ineffabile totum. Videbat enim Christus quandam ineffabilem mensuram sibi datam excessivi doloris, qui dolor sua ineffabilitate esset omni creaturae occultus. Istius enim doloris, scilicet divini luminis sibi dati, divina dispensatio fuit fons et origo.

Fuit etiam in Christo dolor intensissimus et acutus ex compassione supermirabili quam habuit humano generi quod diligebat tam summe. Compatiebatur enim unicuique cum summo dolore secundum mensuram, uniuscuiusque quantitatis delicti et poenae, quam eos incurrere et incurrisse sciebat certissime. Quia enim Christus quemlibet electorum suorum ineffabiliter diligebat et hoc amore deviscerato in eos, secundum mensuram cuiuslibet, continue praesentialiter sentiendo eorum offensam commissam et commissuram et poenam et poenas quas ex tanta offensa sustinere debebant, compatiebatur eisdem tollerando eorum poenas cum summo dolore. Quanto enim viscerosius electos suos Christus amabat, tanto compassivius et dolorosius eorum dolores et poenas portabat, divina dispensatione causa existente.

Fuit etiam dolor in Christo compassionis proprie suimet. Compatiebatur enim Christus sibi ipsi de dolorosa poena et ineffabili quam super se infallibiliter venire videbat. Videns enim Christus se ad hoc missum a Patre ut omnium electorum suorum dolores et poenas in seipso portaret, nec posse falli quod tam acutissimum et ineffabilem non sustineret dolorem, et se ad hoc totaliter datum, compatiebatur sibi ipsi cum summo dolore. Si enimaliquis dolorem maximum et poenam super se certissime et infallibiliter venire cognosceret et ipsum dolorem sine intermissione haberet prae oculis, compateretur sibi ipsi secundum quod maiorem haberet dolorem. Hic enim dixisti tu M. mihi scribenti: Aliter fuit quam ego dico, hoc est profundius, sed hoc dico propter crossitatem intellectus tui. Dixisti mihi. Videns enim Christus ineffabilem dolorem super se venire et infallibiliter, compatiebatur sibi ipsi transformato in tanto dolore.

Fuit etiam in Christo dolor compassionis illius suae dulcissimae Matris. Quia enim Christus suam Matrem super omnem aliam creaturam amabat ex qua sola traxerat suam carnem, et quia ipsa singulariter plus quam aliqua creatura suo vero Filio condolebat propter capacitatem nobilissimam et profundissimam quam habebat et excellentiorem plus quam aliqua creatura, ideo Christus compatiebatur eidem, cum summo dolore, quia eam summe dolere videbat. Dolebat enim ipsa Mater in summo, quem dolorem ipse Christus in seipso portabat. Et huius doloris fundamentum fuit in dispensatione illa divina.

Fuit etiam in Christo dolor compassionis apostolorum et discipulorum ipsius propter vehementissimum dolorem quem pati debebant ex subtractione illius dulcissimae corporalis praesentiae ex qua tanto gaudio fruebantur. Quia enim praesentia sua illa corporalis mirabilis erat tamque amabilis et delectabilis valde, ideo ea ab eis in passione subtracta, et Mater sua et apostoli cum omnibus discipulis indicibili fuerunt afflicti dolore, quem idem Deus et homo Jesus continue in seipso portavit.

Fuit etiam in Christo dolor vehemens et acutus propter gentilem animam et nobilissimam quam habebat et tam delicatam. Quanto enim anima illa nobilior erat et delicatior, tanto acutiori et intensiori ex hoc cruciabatur dolore. Summe enim anima illa nobilissima summo eum affligebat dolore, originem omnes hi trahentes dolores ex illa summa et omnino ineffabili dispensatione divina. Et etiam dixisti tu, M.: Et propter ineffabilem unionem hi omnes dolores taliter et tam intensissime dispensabiliter Christi animam cruciaverunt quod omnis per se dolor in Christi corpore redundavit, ipsum corporaliter vehementissime affligentes.

<Quinque cultrorum genera, quibus adversarii Christum concidere conantur>

Quinque enim generibus cultellorum fuit acultellatus iste Deus et homo Jesus. Unum cultellorum genus fuit quaedam perversa crudelitas obstinatorum cordium contra ipsum. Erant enim eorum corda continue contra ipsum tam vehementissime obstinata, ut semper solliciti essent quomodo possent eum vituperabilius et crudelius exterminare de terra.

Secundum genus cultellorum fuit linguarum vociferantium malignissime contra ipsum. Quia enim continue anxiebantur eorum corda odiosa, ideo continue loquebantur adversus eum venenata et varia venenata linguis suis malignissimis et dolosis, quia ex eorum obstinatissimis cordibus resultabant.

Tertium genus cultellorum fuit irarum grandissimarum sine aliquo moderamine. Ex obstinatis enim cordibus et interfectivis continue ipsum Christum linguis mortifere morditivis resultabant irae crudelissimae quas habebant contra Christum. Quot ergo contra Christum cogitationes, tot continue in ipsius anima Christi cultelli infixi fuerunt; quot verba contra Christum dicta, quot irae crudelissimae, tot fuerunt cultelli Christi animam continue gladiantes.

Quartum genus cultellorum fuit opus totius suae maledictae intentionis consummativum. Quia fecerunt in eum quaecumque voluerunt.

Quintum genus cultellorum quibus acultellatus fuit Christus fuerunt ipsi clavi terribiles quibus ipsum cruci affixerunt. Acceperunt enim ipsi clavos grossissimos, aequales, scabrosos et quadros, quia ex tali forma clavorum poena supermaxima resultavit, ut magis eorum malitia compleretur.

<Ipse Christus triplicem sensum sui doloris salubriter nobis patefacit>

Et ut ipse Jesus Deus et homo de tam excessivo et omnino ineffabili dolore nobis aliquid patefaceret, et ut ex isto dolore nos semper esse dolendos viscerosius nos instrueret, tribus de causis verbum illud clamavit cum esset in cruce dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Clamavit enim orando, scilicet manifestando Deum et se. Deus enim derelinqui non poterat, sed seipsum hominem manifestavit cum se quasi derelictum a Deo in suis

doloribus proclamavit.

Clamavit etiam manifestando superacutissimum dolorem et inerarrabilem quem pro nobis ipse pertulerat. Deus enim Pater Christi dolorem bene sciebat et ipse Jesus sciebat similiter quia illum portabat. Ergo solum pro nobis clamavit verbum illud, ut superacutissimum dolorem et continuum, quem non pro se sed pro nobis pertulerat, nobis indicaret, et etiam ut moneret nos semper esse dolendos. Quia enim creatio corporis et eius organizatio et animae infusio et Verbi unio simul et semel fuerunt ex qua supermirabili unione anima illa repleta fuit summa sapientia et ineffabili, omnia sibi praesentialiter praesentia ineffabili et infallibili repraesentans ideo superacutissimum et omnino ineffabilem dolorem quem se videbat infallibiliter sustinere in ipso creationis suae instanti divina haec sapientia dispensabiliter dispensante totum et totaliter sustinuit et portavit continue usque ad animae separationem et carnis. Et hoc verba sua testantur cum pluries dicat se portare crucem et baiulare; et etiam cum dicat discipulis suis pro illis et pro nobis et non pro se ut dictum est ut salvationem nostram inde trahamus: Tristis est anima mea usque ad mortem, innuens omnibus, maxime legitimis filiis, semper de isto dolore debere dolere. Clamavit etiam ipse Christus cum dixit praedictum verbum “Deus meus” etc., spem nobis dando et confortando quod, si affligimur et tribulamur et in aliquibus doloribus etiam derelinquimur, ne desperando deficiamus, sed quod ipse faciat cum temptatione etiam proventum; et quod praesto est nobis ipse Deus succurrere, suo exemplo clarissime videamus.

<Considerationes de summa necessitate orationis iuxta “Librum vitae”>

<Oratio necessaria via est ad sanctificationem animae, quam “divinum lumen” perficit>

Sed sine divino lumine nullus homo salvatur; unde divinum lumen facit hominem incipere, divinum lumen facit hominem proficere, divinum lumen ad apicem perfectionis adducit. Et ideo si vis incipere et habere istud lumen divinum, ora. Si proficere incoepisti et vis praedictum lumen in te augmentari, ora. Si autem ad apicem perfectionis pervenisti et superillumini vis ut possis in eo permanere, ora.

Si vis fidem, ora. Si vis spem, ora. Si vis caritatem, ora. Si vis paupertatem, ora. Si vis oboedientiam, ora. Si vis castitatem, ora. Si vis humilitatem, ora. Si vis mansuetudinem, ora. Si vis fortitudinem, ora. Si vis aliquam virtutem habere, ora.

Et ora isto modo, scilicet legendo in libro vitae, id est in vita Dei et hominis Jesu Christi, quae fuit paupertas, dolor et despectus et oboedientia vera.

Et postquam intrasti in istam viam, scilicet proficiendi, tribulationes multae, temptationes daemonum, mundi et carnis te multipliciter molestabunt et affligent horribiliter; sed si vis vincere, ora. Et quando anima vult orare magis, oportet quod vadat cum munditia mentali et cum munditia corporali et quod vadat cum puritate et rectitudine; et oportet quod malum convertat in bonum et non faciat sicut multi maligni qui bonum convertunt in malum. Et tunc anima exercitatur in ista munditia et vadit cum maiori confidentia ad confessionem et ad mundationem peccatorum. Et ut in ea nihil immundum remaneat datur sibi quaedam quaesta; et vadit ad orationem et rimatur bona et mala quae fecit, et quaerit intentionem bonorum quae fecit de ieiuniis, de orationibus, de lacrimis et de omnibus aliis bonis quae fecit et invenit quomodo fraudulenter egit, id est diminute et cum defectu. Et ideo non faciamus sicut maligni,

sed confitere diligenter peccatum tuum et paenitere, et in ista confessione anima invenit munditiam. Et ideo redi ad orationem, et ne impleas te alia occupatione ex quo incipis sentire de Deo plenius solito, quia palatum tuum est magis dispositum ad assaporandum de Deo quam fuerit ante. Et est sibi datum unum lumen altissimum videndi Deum et seipsum.

<Hortationes ad falsos orationis magistros cavendos>

Et cave tibi quod nulli des teipsum nisi prius addiscas te ab aliis separare. Iterum cave tibi ab his qui habent dulcia verba et reddunt se placibiles specialiter in suis locutionibus et ostendunt revelationes, quia illi sunt laquei malignitatis ad trahendum alios post se. Iterum cave tibi ab his qui habent speciem sanctitatis et habent speciem bonorum operum, quod per istam viam te non trahant; unde vide et revide et proba, et quantum similatur viae libri vitae in tantum sequaris et non plus. Iterum cave tibi a fervoribus tuis, id est a spiritu qui datur cum fervore; id est, antequam sequaris, rimare et vide quod principium, quod medium et quis finis sequatur, et in quantum similatur viae libri vitae in tantum sequaris et non plus.

Iterum cave tibi ab his qui se dicunt habere spiritum libertatis, qui sunt aperte contra vitam Christi, cum Deus Pater Filium suum qui non erat obligatus legi, immo supra legem et conditor legis et ipsum voluit constituere sub lege; et qui erat liber factus est servus. Et ideo est necesse his qui volunt sequi Christum quod conforment se vitae Christi, non quaerendo libertatem in solvendo legem et praecepta divina sicut faciunt multi, sed subiiciendo se legi et praeceptis divinis et etiam consiliis; et faciunt sibi unum circulum, qui circulus dat eis ordinem, scilicet Spiritus Sanctus dat eis ordinem qualiter debeant vivere, et ligat eos; et multa essent eis licita ad faciendum, quae non sunt contra Deum, quae Spiritus Sanctus non sinit eos facere propter multam ordinationem quam dat eis Spiritus Sanctus. Et ideo qui volunt istam ordinationem, orent.

Custodi te ne des locum inimicis continue observantibus. Tunc dabis locum inimicis quando desistes orare. Quanto enim plus temptaris, tanto magis in oratione persevera; ex virtute enim orationis continuae mereris temptari aurum debet purificari et colari et per virtutem orationis continuae mereris a temptationibus liberari. Oratione enim illuminaris, oratione a temptationibus liberaris, oratione mundaris, oratione cum Deo uniris.

<Definitio, natura, gradus, effectus et “liber” orationis>

Oratio enim non est aliud quam manifestatio Dei et sui; et ista talis manifestatio, scilicet Dei et sui, est perfecta et vera humiliatio. Nam status humilitatis est quando anima videt Deum et se; et tunc est in profunda humilitate, et ex ista profunda humilitate magis divina gratia profundatur et crescit in anima. Quanto enim divina gratia animam magis in humilitate profundat, tanto magis ex ista profundatione humilitatis ipsa divina gratia crescit; et quanto magis divina gratia crescit, tanto magis in vera humilitate anima profundatur et iacet. Per continuationem verae orationis augmentatur in anima divinum lumen et gratia, et divinum lumen et gratia semper plus animam in vera humilitate profundant, legendo semper sicut dictum est, in ista vita Dei et hominis Jesu Christi. Manifestare enim Deum et se, nihil video ego maius. Sed haec adinventio, scilicet ista manifestatio Dei et sui, non est nisi filiorum legitimorum Dei habentium veram orationem.

Et ponetur ante istos veros oratores liber vitae, scilicet vita Dei et hominis Jesu Christi, in quo nihil volent quod ibi non invenient; et implebuntur scientia mea benedicta quae non inflat; et omnem doctrinam, pro seipsis et pro aliis necessariam, ibi invenient. Unde si vis superillumini et doceri, legas in isto libro vitae; quod si non percurras et pertranseas in legendo, illuminaberis et doceberis in omnibus necessariis pro teipso et pro aliis, cuiuscumque sis status. Et si bene legeris, non percurrendo, infocaberis igne divino, in tantum quod omnem tribulationem pro maxima recipies consolatione et faciet te videre indignissimum tribulatione; et etiam, quod plus est, si prosperitas aut laus humana supervenerit tibi propter aliquam sufficientiam quam posuisset in te Deus, non inflaberis nec te extollet in altum quia, legendo in libro vitae, videbis in veritate et cognosces quod laus non est tua; et hoc est unum signorum quo homo potest cognoscere quod est in gratia divina, quia de nullo extollitur et inflatur sed potius semper humiliatur.

Est enim oratio triplex, scilicet corporalis, mentalis et supernaturalis. Et quia divina sapientia est ordinatissima et cunctis rebus imposuit suum ordinem, ordinavit sua sapientia ineffabili ut nullus perveniat ad orationem mentalem nisi prius habeat corporalem, et nulli dare supernaturalem nisi prius habeat corporalem et mentalem. Et vult ista sapientia ordinatissima orationes horarum ad horam illi orationi congruam sibi reddi nisi omnino fuerint tanta corporali infirmitate gravati quod omnino non possint, vel nisi ex tanta orationis mentalis vel supernaturalis superveniente laetitia quod carnis lingua omnino absorbeatur ab illa et etiam iuxta possibilitatem cum quiete mentali et, ut expedit, solitudine et sollicitudine corporali.

Quanto enim plus orabis, tanto magis illuminaberis; et quanto magis illuminaberis, tanto profundius ac nobilius summum bonum et rem summe bonam videbis; et quanto profundius et excellentius videbis, tanto eam plus amabis; et quanto eam plus amabis, tanto plus te delectabit; et quanto plus te delectabit, tanto magis comprehendes illam et capacior fies ad comprehendendum. Postea venies ad plenitudinem luminis, quia comprehendes quod comprehendere non potes.

<Omnibus praestantissimum exemplum orationis sunt Jesus et gloriosa Virgo Mater eius>

Et istius gloriosae orationis exemplum habemus, et quod in ea perseveremus, ab ipso Dei Filio et homine Jesu Christo, qui orare nos docuit et verbis et opere multipliciter. Nam verbis suis orare nos admonuit, cum discipulis suis ait: Vigilate et orate, ut non intretis in temptationem. Et in multis locis in Evangelio invenies quomodo de ista venerabili oratione multipliciter nos instruxit et etiam omnibus innuit illam sibi multum esse carissimam, cum de ea totiens et totiens nos admonuit. Et tamquam nos vere et ex corde diligens, ut huius benedictae orationis nulla nobis excusatio remaneret, voluit et ipse Jesus orare, ut saltem suo exemplo tracti hanc prae omnibus amaremus. Ait enim evangelista: Cum prolixius oraret, factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Pone hoc speculum ante oculos tuos et stude cum toto te de ista oratione habere, quia ipse pro te oravit, non pro seipso. Oravit etiam cum dixit: Pater, si fieri potest transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas sed tua fiat. Vide quia Christus divinam voluntatem semper praeposuit voluntati suae, et fac tu secundum exemplar. Oravit etiam cum ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quid plura? Tota vita sua fuit oratio, quia in continua Dei manifestatione mansit et sui. Numquid frustra Christus oravit? Quare ergo orare negligis cum sine oratione nihil haberi possit? Ex quo Christus Jesus Deus et homo

verus pro te, non pro seipso oravit, sed ut tu verae orationis exemplum sumeres. Si ab eo vis aliquid, de necessitate oportet quod ores, quia sine oratione obtinere non poteris.

Exemplum etiam habemus a Virgine gloriosa Matre Dei et hominis Jesu Christi. Numquid orationem eius condemnamus et sui Filii Dei et hominis Jesu Christi? Si non condemnamus, quare ergo illam non sequimur? Docuit enim nos ipsa orare, exemplum nobis proponendo suae orationis sanctissimae. Oravit enim ipsa quando suam virginitatem Deo proposuit integre servare; et in isto orans proposito, divinum lumen in ea plenius abundavit; ex quo divino lumine suam virginitatem et etiam totam suam animam et corpus Deo gloriosius consecravit, et in isto divino lumine Deum et se perfectissime manifestavit. Haec oratio, id est haec manifestatio, fuit semper eius ineffabilis contemplatio.

Duobus enim modis oramus nos, quibus Virgo gloriosa non indiguit. Oramus ut ab aeterna poena liberemur, quam meruimus ex peccatis nostris, et etiam suae misericordiae affluentia ab ipsis peccatis petimus emundari; et istis Dei Mater opus non habuit. Oramus etiam nos ut illuminemur et in virtutibus crescamus et donis, quibus Dei Mater plena fuit in summo. Nam quamvis fuerit ex massa nostra corrupta, fuit tamen a Deo Patre singulariter electa et ab ipso singulari privilegio perornata et tam gloriose et plene, ut nunquam indigeret mundari nec etiam liberari a poena. Tantum enim fuit Dei Mater singularibus privilegiata virtutibus et ineffabilibus donis, ut ab illo divino contubernio nunquam ad modicum separari valeret. Et tantum ineffabiliter cum illa summa et omnino ineffabili Trinitate unita erat, ut in hac vita illo gaudio frueretur quo gaudent in patria sancti, quod quidem est gaudium incomprehensibilitatis quia comprehendunt quod comprehendere non possunt; et in hac comprehensione in vita ista, felix anima gloriosa Virginis pernavit, non tamen hoc mundo experientiam patriae habere potuit.

<Considerationes et exempla perfectae paupertatis>

<Erroneae paupertati hominis subvenit contraria paupertas divina>

Per viam paupertatis cecidit homo primus, et per viam paupertatis relevavit nos homo secundus, iste Deus et homo Christus. Peior paupertas quae sit est incognitio. Unde Adam cecidit per incognitionem, et omnes qui ceciderunt et cadunt vel casuri sunt, omnes cadunt per istam incognitionem. Et ideo oportet quod filii Dei releventur et resurgant per paupertatem contrariam.

<Tria exempla certae paupertatis nobis ostenduntur: a Christo, a Virgine Maria, a bono latrone cum Jesu crucifixo>

Huius paupertatis exemplum habemus ab ipso Deo et homine Jesu Christo. Iste Deus et homo Jesus Christus relevavit et redemit nos per paupertatem. Certe paupertas ineffabilis fuit quando tantam suam potentiam et nobilitatem totam abscondit. Dimisit enim se blasphemari, vilipendi, vituperari, capi, duci, flagellari et crucifigi, et semper stetit sicut homo impotens. Haec paupertas est exemplar vitae nostrae; de ista paupertate habemus trahere exemplum. Non quod sit nobis necesse abscondere potentiam, quia non habemus; immo de necessitate oportet quod manifestemus et videamus tantam impotentiam nostram.

Istius paupertatis adhuc exemplum habemus Virginis gloriosae Dei Matris

sanctissimae quae nos docuit manifeste, quando in responsione tanti mysterii manifestavit se esse de nostra massa corrupta, manifestando se in tam vilissimo nomine, cum ait: Ecce ancilla Domini, quod fuit vilissimum nomen. Ista enim paupertas est Deo superacceptissima.

Exemplum etiam habemus ab ipso latrone qui crucifixus fuit cum isto Deo et homine Jesu Christo. Cum enim malae vitae fuerit et mala opera habuerit, habendo lumen divinum, videndo istam bonitatem divinam in veritate, immediate vidit paupertatem suam et statim confessus est eam, et insultanti respondit: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Nos quidem digne, nam digna factis recipimus, hic autem nil mali fecit. Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Et statim salvus factus est.

Nobis peccatoribus non video maiorem satisfactionem posse fieri Deo quam quando videmus perfecte paupertatem nostram. Quando anima videt perfecte paupertatem suam non expectat a Deo iudicium, sed ipsa facit sibimet iudicium et condemnat se. Et statim datur sibi una quaesta ad inveniendum novos modos paenitentiae ut satisfaciatur, nullum paenitentiae et dolori terminum imponendo.

<Beatus Franciscus, paupertatem perfecte secutus, duplicem peculiarem eruditionem de eadem praebet>

O quam perfectum exemplum habemus a glorioso patre nostro beato Francisco, qui huius verissimae paupertatis ineffabile lumen habuit, et ita de isto lumine plenus fuit et superplenus ut nobis singularem viam faceret et ostenderet! Non enim ego possum respicere ad alium sanctum qui magis singulariter ostendat mihi viam libri vitae, scilicet exemplar vitae Dei et hominis Jesu Christi, nec video aliquem qui tantum singulariter figeret se in eo. Et tantum singulariter fixit se ibi, ut nunquam oculos animae suae amoveret ab illo, quod etiam in carne patuit. Et quia ipse fixit se ibi ita plenissime, fuit repletus summa sapientia. Et de ista sapientia totum mundum implevit et implet.

Duo enim singulariter docuit nos iste gloriosus pater noster beatus Franciscus.

Unum est recolligere nos in Deo, scilicet totam animam in ista infirmitate divina. Et quia ipse plenus fuit et superplenus Spiritu Sancto, et ita superplenus fuit ut in omnibus operibus et actibus suis gratia Sancti Spiritus adesset hoc enim fecit Spiritus Sanctus in eo quoniam in anima et corpore mundavit eum sanctificavit eum interius et exterius, fortificavit eum in omnibus, direxit eum verissime, fecit eum purissimum interius et exterius, et univit eum cum Deo unione continua et ineffabili ipse Spiritus Sanctus. Iste Spiritus Sanctus sive ista ordinatio Spiritus Sancti supermirabilis, quae ita mirifice ordinavit animam et fecit eam sedem Dei, immediate ordinavit et corpus et singulariter ordinavit. Et ego video eum singulariter pauperem, et video eum singularem amatorem paupertatis et sequacem ipse enim fuit pauper et interius et exterius et video eum totaliter transformatum in paupertate. Et non solum ordinavit sibi ipsi, sed ordinavit toti mundo; et istam ordinationem traxit de libro vitae, scilicet de vita Dei et hominis Jesu Christi. Ergo credamus sibi, quia non fuit falsa; non enim oravit ipse in vanum.

Secundum quod docuit nos beatus Franciscus fuit quod docuit nos paupertatem, dolorem et despectum et oboedientiam veram. Ipse enim fuit ipsa paupertas interius et exterius, et per istam vixit et continuavit. Et omnia quae iste Deus et homo Jesus

despexit, perfectissime ipse despexit; et omnia quae iste Deus et homo Jesus amavit, omnia ipse viscerose dilexit et summe, cum indicibili perfectione eius sequendo vestigia, ut ei, ut poterat, in omnibus efficeretur conformis. Et quia ipse perfectissime vidit Deum secundum ineffabilem visionem, ita ineffabiliter amavit; et secundum transformationem quam habuit, ita habuit suam operationem completissimam illud enim quod multum amatur, multum desideratur haberi; et quanto plus amatur, tanto plus desideratur haberi et omnia quae dilexit ipse Deus et homo Jesus Christus, dilexit ipse Franciscus pauperrimus. Et semper habuit mundationem super mundationem, et continue mundabatur propter aspectum puriorem quem habebat continue. Et quia ipse Deus singulariter vocaverat eum, et pro se et pro aliis ideo donavit ei singularia dona. Et etiam voluit ipse Deus increatus manifestare nobis veram impleturam quam habuit iste pater noster beatus Franciscus, quam impleturam comprehendere non valemus. Et ista dona singularia et hanc impleturam habuit per veram et continuam orationem.

Unde quando invenis aliquem de istis qui habent spiritum libertatis dicentem: Quare me iudicas? Quid scis tu quid habeo in corde? respondeas secure et reprehendas eum audacter, dicens quod Spiritus Sanctus docet iudicare si opera mala sunt. Ipse enim Spiritus Sanctus, immediate cum infunditur animae, ordinat eam perfectissime, et secundum perfectiorem ordinem quem dedit animae ita ordinat et corpus; aliter autem est falsum.

<Paupertas hominis lapsi sanatur imitatione paupertatis contrariae hominis Jesu et contemplatione eius divinitatis, Sancto Francisco docente>

Quanto perfectius et purius videmus, tanto perfectius et purius amamus. Sicut videmus, ita amamus. Ergo quanto plus videmus de isto Deo et homine Jesu Christo, tanto plus transformamur in eum per amorem; et secundum transformationem amoris, ita transformamur in dolorem quem videt anima in isto Deo et homine Jesu Christo. Et sicut dixi de amore, quod quantum videt anima tantum amat, ita dicere dolore, videlicet quantum videt anima de isto ineffabili dolore Dei et hominis Jesu Christi, tantum dolet et tantum transformatur in ipso. Et sicut videt altitudinem et delicantiam istius Dei et hominis Jesu Christi et quanto maior est visio altitudinis et delicantiae suae, tantum transformatur in eum per amorem; ita quantum videt anima ipsum dolorem Dei et hominis Jesu Christi et quanto maior est visio istius ineffabilis doloris, tantum transformatur in ipso dolore. Sicut transformatur anima in isto Deo et homine Jesu Christo per amorem, ita transformatur in eo per dolorem.

Et postquam videt anima istam superinfinitatem sive superaltitudinem divinam quam nominando videtur mihi blasphemare potius quam nominare et videndo illos tam vilissimos cum quibus dignatus est amicitiam et consanguinitatem facere ista omnino ineffabilis superaltitudo divina, quanto clarius et profundius anima ista videt, tanto viscerosius et profundius transformatur in ipso dolore Dei et hominis Jesu Christi. Natando enim ineffabiliter anima in ista omnino ineffabili superbonitate divina, videt ipsam creaturam defectibus ita plenissimam ut in videndo caecutiat, quia videt quod de ipso defectu in comparatione nihil comprehendere valet. Et quanto limpidius anima ista videt, tanto dolorosius transformatur in ipso dolore Dei et hominis Jesu Christi.

Cum enim videt postea ex divino lumine, ipsam animam amplius dilatante, quod ipsa sola est et fuit causa tam excessivi et quasi infiniti doloris, transformatur et ipsa in excessivo dolore. Videndo enim anima istam omnino superinfinitatem sive superbonitatem divinam pro se creatura omnino vilissima tantum inclinam, ut homo

mortalis fieret et tanto vellet ineffabili cruciari dolore continue dum viveret, et qui erat Creator caeli et terrae moreretur ita viliter, transformatur adhuc anima plus in summo dolore. Si enim ullo tempore mundi homo curat homini satisfacere, circa mortem est magis sollicitus; sed rex regum, quamvis tota vita sua crux indicibilis fuerit propter dolorem ineffabilem et continuum quem portavit, in morte tamen pro camera deaurata cum lectis purpureis iste habuit abominabilem crucem et ipsam crucem ita vilissimam, ut in ea sustentari non posset nisi per clavaturam clavorum sustentantium ipsum in cruce. Ipsi enim clavi per manus et pedes tenuerunt eum in cruce illa, aliter sustentari in illa non potuisset. Pro servitoribus sollicitissimis ad satisfaciendum paratis, habuit satellites diaboli sollicitissime continue praeparatos ad crudelius affligendum et viscerosius lacerandum, ita ut etiam in morte modicum de aqua sibi non darent cum peteret eam et etiam se sitire clamaret. Et haec omnia quanto anima clarius et limpidius videt, tanto intimius et viscerosius absorbetur, et transformatur in ipso omnino ineffabili dolore et continuo Dei et hominis Jesu Christi.

Videndo autem adhuc anima quod paupertate cecidit et iste Deus et homo Jesus paupertate eam contraria relevavit, et videndo quod dolores incurrerat sempiternos et iste Deus et homo Jesus dolere voluit continue quasi infinito dolore ut eam ab his doloribus liberaret, et etiam videndo anima quod in despectionem venerat illius summae et omnino ineffabilis deitatis et idem Deus et homo Jesus despici et iniuriari et ita despectissimus omnibus voluit apparere ut eam ab his despectibus relevaret, transformatur animam tanto dolore istius Dei et hominis Jesu quod omnino est ineffabile totum.

Et haec omnia perfecte fuerunt in beato patre nostro Francisco, ad quem respicere debemus ut sequamur illum.

INSTRUCTIO IV

<ANGELA ASSISIUM PEREGRINANS REVELATIONIBUS ET CHARISMATIBUS MIRIFICE FRUITUR>

(Haec est mutatio donorum Altissimi)

<Verba scriptoris quae ad thema introducunt>

In nomine beatissimae Trinitatis et reverendissimae Matris Domini nostri Jesu Christi. Haec est mutatio donorum Altissimi facta super mentem cuiusdam Christi fidelis. Quam cum multa poena et multis precibus et ex maxima causa vix potui obtinere ego scriptor ab ore eius, licet essem sibi multa familiaritate et multa Christi caritate coniunctus. Quam etiam, propter eius clausuram omnimodam et stupendam in divinis donis, non habuissem quantum potui advertere, nisi praeostensa multa displicentia ad quam multa fuit compassione commota propter recessum longinquum et subitum et dubium in aeternum reditum ad eius corporalem aspectum. Et multotiens mihi praedixit quod nullo modo videbatur sibi aliquid dicendum propter multa quae allegabat valde virtuosa, et etiam propter impossibilitatem expressionis quia nihil humanis dici potest verbis, expressivum solum illorum quae infra narrantur corporaliter sive imaginabiliter facta. Et multo minus nihil potest dici de eis quae fuerunt ab ea mentaliter sentita, tam circa illos fratres de quibus erit sermo, quam in excessiva alteratione suae menti pro se facta. Illud enim est omnino ineffabile, nisi

quo aliquid parum dicam hic ut ab ore eius accepi, sicut donat Dominus recordari. Licet autem anima illa benedicta habeat lumina absorbentia continue ipsam in Deum, modis nobis ineffabilibus, sibi tamen continuis et irremissis, nihilominus illa benedicta anima ex infinito pelago divinae bonitatis habet nova saepe dona sibi prius omnimode inexperta et, ut plurimum, omnibus suis statibus altiora et in Dei infinitam abyssum ipsam magis inducentia.

<In sacrificio Missae “die dominico ante festum Indulgentiae”>

<a. Describitur quomodo Angela in abyssum divinitatis elata sit simulque in visione Crucifixi telo compassionis transfixa sit>

Unde die Dominico ante festum Indulgentiae in missa quae cantabatur in altari reverendissimae Virginis, ecclesiae superioris beati Francisci, circa elevationem Corporis Domini, organis cantantibus angelicum hymnum “Sanctus, Sanctus, Sanctus” etc., ab ipsa maiestate summi et increati Dei sic fuit anima in ipsum increatum lumen absorpta et assumpta et a se tracta cum tanta mentis fruitione et illustratione, quod omnino est ineffabile totum. Et quidquid dicitur hic verbis est omnino nihil, et nulloh humano eloquio potest exprimi illa benedicta tractura illius increati Dei omnipotentis. Post talem abissalem absorptionem in Deum, remanente sibi priori influentia immutata, apparuit effigies illius benedicti Dei et hominis crucifixi quasi tunc noviter de cruce depositi, cuius sanguis apparebat sic recens et rubicundus per vulnera effluens ac si tunc immediate de recentibus vulneribus fuisset effusus. Tuncque etiam apparebat in iuncturis omnibus illius benedicti corporis tanta dissolutio compaginis et unionis membrorum ex dira protensione et tractura horribili virgineorum membrorum ab illis homicidis manibus perfidorum super patibulum crucis, quod nervi et iuncturae ossium illius sacratissimi corporis videbantur omnino laxati a debita harmonia iuncturae; nulla tamen apparebat in pelle continuitatis solutio.

Ad cuius liquefactivum conspectum tanta compassione transfixa sunt sua viscera, quod vere in crucis dolores videbatur tota et mente et corpore transformata. Et maiori configebatur telo in aspectu tam dirae resolutionis compagum unionis membrorum, ex qua omnes nervi videbantur dolorose protensi, quam in aspectu vulnerum apertorum; quia in illis magis intimabatur animae videntis passionis secretum et dira crudelitas inferentium mortem. Eratque tantae compassionis aspectus sic cruciati corporis boni et dilecti Jesus, quod omnes iuncturae in vidente novum videbantur provocare lamentum et novum vere faciebant in ea doloris transfixivi tam mentis quam corporis sentimentum; eratque stupor in ea divini influxus, quia ille increatus Deus mentem reficiebat ineffabili illustratione abyssalis splendoris dulcorosae divinitatis suae; et idem benedictus crucifixus Deus et homo Jesus eam totam transfigebat compassivi crucifixione doloris dirae suae mortis ostensae. Digne quidem benedictus et gloriosus Jesus illi menti perfecte duplicem suae vitae statum, quasi cuiusdam comprehensionis statu, in perfectione contemplationis viae et corporalis crucifixionis in transformativa compassione mortis suae concessisse videtur invisibili actu; quae supra omnem, quam unquam videre potui animam, totaliter suae vitae nititur esse conformis exteriori conatu. Sed de eius quacumque commendatione silentes, quia omnino lingua deficit a suarum expressione virtutum, prosequamur incoeptum.

<b. In praefata visione contemplet etiam quomodo filios suos spirituales amplexum, benedictionem et exhortationes Christi accipiant>

Dum sic ipsa, tota simul absorpta a divino dulcore et tota crucifixi a Crucifixi visione,

staret simul iocundata et dolorata, mirrata et melliflua, quasi deificata et crucifixa, ecce subito circa illum benedictum Jesum sic doloratum multitudo filiorum huius sanctae matris apparuit; quos ipse benedictus Jesus cum tanto amore singulos amplexans, ad vulnus lateris osculandum cum manibus eorum stringens capita applicabat; quod gaudium genitum in anima matris de tam eviscerato amore illius benedicti Dei et hominis crucifixi, ostenso super istos, fecit eam oblivisci dolorum sibi intimorum qui in aspectu tam diro eius animam pertransibant.

Videbatur etiam magnus gradus in filiorum amplexu et applicatione ad latus, quia quosdam plus, quosdam minus infigebat, quosdam etiam saepius applicabat, quosdam vero intus corporaliter absorbebat; apparebatque in labiis rubricatio rubentis sanguinis, quae in aliquibus totam faciem colorabat secundum gradus supra expressos. Singulisque largas benedictiones effundens, dicebat: Discooperite, filii, viam crucis et paupertatis et despectus mei; quia nunc specialiter cooperitores abundant, et ad hoc singulariter vos elegi, ut per vos discooperiatur veritas mea conculcata et absconsa, exemplo et verbo. Et intelligit anima illa benedicta quod sicut omnia signa sibi secundum diversos gradus apparent, sic et verba quae dicuntur secundum diversos gradus diversimode a filiis requiruntur. Et licet eos viderit singulariter in gradibus suis, noluit tamen hoc de aliquo dicere specialiter, nec etiam mihi congruum videbatur requiri, nisi quod unusquisque nitatur quantum plus potest isti benedicto Crucifixo configi et eius mandatum de sequenda via despectus, paupertatis et crucis totis conatibus amplexari. Dixit autem omnino ei esse impossibile exprimere evisceratum amorem, qui relucebat in aspectu oculorum illius benedictae faciei Dei et hominis Jesu Christi super istos filios, et in amplexu et applicatione ad sacrum vulnus et in omnibus signis tam benedictionum, quam etiam locutionum super eos factis.

<c. Cogitationes scriptoris de praedictis visionibus>

Attendendum autem puto plurimum istis fratribus, quos invisceravit Altissimus praecordiis sanctae matris, illud quod ipsa mihi dixit generaliter fieri quod eius beneficia, hoc est huiusmodi sursum actiones in Deum, in sua elevatione et inflammatione inchoantur et in nostra repraesentatione ei perficiuntur; ut per hoc videatur expresse praemonstrari nobis a Deo benedicto quod in ipsa est radix nobis impetrativa omnium et nos sumus gaudium eius et corona in Domino, ita ut in nobis radix sui ferventis amoris tamquam in propagines dilatetur et crescat.

Est etiam praeponderandum quod dixit, quod illa elevatio Increati et transformatio Crucifixi unum statum continuum ponunt in anima sua inabyssationis in Deum et transformationis in Crucifixum, quem non credit perdere in aeternum. Quod sic intelligo ego nescio tamen si bene, et hic et ubicumque dicuntur similia verba quod scilicet anima illa benedicta formatur de novo in quemdam statum continui actus transformationis in Deum et in Dei infinitissimum lumen et in dolorosi Crucifixi sentimentum sibi hactenus inexpertum. Qui, licet sit sibi continuus, non interpolatus, quasi per modum actus, ut habitus, tamen idem ille actus, ut credo, recipit incrementum novorum fervorum, gaudiorum et dulcorum et novorum gustuum, in eodem tamen modo primae et continuae illuminationis, ita quod simul est continuum et tamen quoad istas intensiones forsitan saepe innovatum; et propter hoc dicitur idem remanere, et tamen vere potest dici quoad tales modos fervorum maiorum et dulcorum et repraesentationum innovari. De hoc tamen ipsa esset requirenda, quae melius ipsa per experientiam diceret, quam ego balbutiens et forsitan non vere describo. Et hoc dixi quia istud de processione mihi retulit tamquam aliquid novum a primo, quod

solum intelligo modo praemisso, quantum ad illain quibus concordat cum primo.

Totus enim status illius animae est ita ineffabilis, quod vix possumus aliquid balbutire. Nec mirum, quia ipsa experta et horum magistra asserit quod omnino nihil dicit de eo quod est, quia modus ille omnino est ineffabilis. Unde quasi videtur sibi quaedam blasphemia velle exprimere inexpressibile; sed nostra importunitate aliquando devicta, utpote quae materna portat viscera, se aliquantulum permittit vinci, licet cum stupenda poena sui, quia ipsa supra omnem quam unquam vidi animam consuevit semper dicere: Secretum meum mihi.

<“Die processio ad Sanctam Mariam Angelorum” amplius eadem visio iteratur, in qua etiam Virgo Maria filios Angelae amplectitur >

Die vero processio, quando itur ad ecclesiam Dominae, cum ipsa esset in processione, sensit illum abyssalem attractum increati Dei, de quo dictum est supra, modo stupendo et omnino ineffabili. Viditque illum benedictum Deum trinum et unum sic maiestate inhabitare mentes filiorum, transformando istos filios in se diversimode secundum gradus praedictos, quod vere unus magnus paradus erat sibi videre illam inhabitationem divinam in istis. Et sic viscerose videbatur devisceratus in eos, quod ipsa non poterat satiari aspicere eos. Et ego qui scribo, oculata fide conspexi quod ipsa videbatur in facie tota alterata in angelicam et mirandam et gloriosam laetitiam. Tantaque erat benedictio et tam dulcissime et viscerose prolata, quam supra istos filios effundebat increatus Deus, quod modus propter ineffabilitatem magis silentio honoratur. Tuncque requirebat a filiis: Estote, filii dilecti, mihi sacrificium holocausti totaliter et mente et corpore. Pensate, fratres, quantum per affectus et opera debet amari ille, qui sic nobis viscerose se donat et qui sic amorose et possessive totaliter nos requirit.

Tuncque similiter facta est sibi repraesentatio Dei et hominis crucifixi modo praemisso, cum tanto compassivo dolore ex illa dissoluta compage descripta superius, quod tamquam ineffabile pertranseo. Et efferebatur ante eius oculos per aerem in tota processione, nullius manus adiutorio latus. Tuncque ante istum benedictum Crucifixum ad matris desiderium congregati sunt omnes filii et absentes et praesentes, quos modo praemisso stringens et amplexans applicabat ad latus. Et dicebat: Ego sum qui tollo peccata mundi; et peccata omnia vestra tuli, nec vobis imputabuntur in aeternum. Hic est lavacrum vestrae mundationis; hic est pretium vestrae redemptionis; hic est domus vestrae habitationis. Unde non timeatis, filii, hanc veritatem viae et vitae meae impugnatam defensare et discooperire, quia ego continue vobiscum sum adiutor et defensor.

Ostensa etiam sibi fuit mundatio omnium filiorum in triplici gradu, et ista vice et multoties antea. Quaedam est generalis mundatio ab omni culpa. Quaedam est aliquorum specialis, scilicet collatio magnae gratiae et vigoris ad faciliter vitanda peccata; et licet multum decoris detur animae in omni mundatione, tamen in ista secunda datur unus maximus et delectabilis decor. In tertia autem est tantus excessus quod omnino nihil poteram habere ab ea, dicente ipsa quod omnino est ineffabile. Cumque importune instarem quod aliquid diceret, tandem dixit: Quid vis ut dicam? Ipsi videntur transformati in Deum sic quod quasi nihil in eis aliud video quam Deum, nunc gloriosum nunc passionatum, ita quod istos videtur totaliter in se transsubstantiasse et inabyssasse.

Postea appropinquantibus nobis ad ecclesiam beatissimae Virginis Matris Dei, ecce

ipsa Regina misericordiae et omnis gratiae Mater super istos filios et filias se inclinans quae prius apparebat sursum levata novo modo et gratiosissimo benedictiones dulcissimas ingeminabat super omnes. Et omnes osculabatur in pectore, quosdam plus, quosdam minus; et quosdam, cum praedictis osculis, amplexabatur brachiis tantae caritatis quod eos, sicut tota apparebat luminosa, in quoddam quasi infinitum lumen videbatur intra suum pectus absorbere. Non tamen videbatur sibi quod videret brachia carnea sed quoddam admirandum lumen dulcissimum, in quo absorbebat eosdem intra suum pectus claudens cum maximo super istos eviscerato amore.

<In sacrificio Missae “mane diei Indulgentiae” prioribus visionibus additur visio S. Francisci benedicientis, laudantis et hortantis filios spirituales>

In mane diei Indulgentiae, cum diceretur missa in pulpito, multa sibi fecit Altissimus. Inter alia apparuit beatissimus Franciscus totus gloriosus, salutationem consuetam offerens, quae est ista: Pax Altissimi tecum sit. Et semper salutat voce piissima, humillima, gratiosa et affectuosa. Tunc in quibusdam filiis ardentibus zelo observandae paupertatis regulae laudavit multum propositum, et rogavit quod cresceret per opus. Et dixit: Benedictio aeterna, completa et abundans, quam ego habui ab aeterno Deo, veniat super caput horum dilectissimorum filiorum tuorum et meorum. Dicas quod iuvent me, scilicet sequendo viam Christi, illam per opera manifestando et verba; et non timeant quia ego cum eis sum, et aeternus Deus adiutor est eorum. Et cum tanto affectu laudabat illos filios de proposito bono, et confortabat quod secure procederent et quod ipsum in sua intentione adiuverent, et sic amore benedicebat eosdem, quod totus videbatur eviscerari in amore super ipsos.

<Post peregrinationem Angela ipsa nuntium visionum filiis suis aptat >

Multa alia vidi circa se et circa filios ineffabilia quae extorquere non potui. Immo haec pauca quae scripsi quae sunt multa in pondere et sententia fideliter ut scivi, licet diminute, descripsi. Quae tamen cum multa difficultate et sua poena, ipsa mea importunitate victa, expressit dicens in fine: Quid vultis tanta audire? Ipse benedictus Deus totus viscerose effunditur super vos, et ipsa dulcissima Mater. Et ipsi volunt totum portare onus vestraepaenitentiae, tantum petunt ut sitis exempla luminosa vitae suae dolorosae, pauperrimae et despectae. Et volunt et desiderant vos videre vivos mortuos et quod habitatio vestra esset in caelo et solus usus corporis esset in mundo, ut, sicut mortuus non alteratur nec de honore nec de dedecore, ita vos omnino immutabiles essetis ad esse extrinsecum et praedicaretis aliis mortificatione vitae vestrae magis quam contentioso sermone. Et in omnibus actibus vestris semper intentio vestra esset in caelo in illo benedicto Deo increato et homine crucifixo, ita quod operando, loquendo, comedendo exterius, semper interius intrinsecati essetis illi benedicto Deo, qui vos vult intra semetipsum continue circumferre et in omnibus actibus vestris semper assistere.

Quod ipse dignetur implere in nobis, qui misericorditer dignatur requirere per merita gloriosae Matris suae et per intercessionem suae dilectae famulae, cuius meritis nos ut ramusculos dignatus est inserere, ut per ipsam, tamquam per scalam salutarium exemplorum et radicalium meritorum, in summitatem suae excellentissimae vitae et transformationem sacratissimae passionis suae ascendamus continue, donec, una cum benedicto Jesu introeuntes in paternum sinum, requiescamus cum illo, ubi est omnis requies beatorum in saecula saeculorum. Amen.

INSTRUCTIO V

<DE HUMILITATE RATIONEQUE EAM ACQUIRENDI>

(Respicite, filii mei benedicti)

<Cordis humilitas est imitatio vitae Christi Virginisque Mariae, fundamentum omnium virtutum ac lumen quo Deum et nos ipsos agnoscimus>

Respicite, filii mei benedicti, et videte exemplar vitae in isto Deo homine passionato et ex eo formam trahite omnis perfectionis. Videte vitam, attendite doctrinam et toto mentis affectu post ipsum currite, ut ad crucem eius ipso duce possitis feliciter pervenire. Ipse namque se nobis posuit in exemplum, et mentis intuitu hortatur respicere nos in eum, dicens: Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenientis requiem animabus vestris.

O filii mei, attendite et videte et alta consideratione inspicite profunditatem istius doctrinae, sublimitatem istius instructionis, ubi fundata ubi radicata sit. Non dixit “Discite a me ieiunares”, quamvis ipse ad exemplum nostrum et pro nobis ieiunaverit quadraginta diebus et quadraginta noctibus; non dixit “Discite a me mundum spernere et in paupertate viveres”, quamvis ipse in paupertate maxima vixerit et in ea suos discipulos vivere voluerit; non dixit “Discite a me miracula faceres”, quamvis ipse ex propria potentia miracula fecerit et suos discipulos in suo nomine miracula facere voluerit; sed hoc solum dixit: Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

Vere enim hanc cordis humilitatem et corporis mansuetudinem pro fundamento et radice firmissima posuit omnium virtutum; quia nec abstinentia et ieiunii asperitas, nec paupertas exterior et vilitas vestimenti, nec virtuosa in apparentia habere opera et miracula facere, est aliquid sine cordis humilitate. Sed tunc benedicta erit abstinentia, benedicta asperitas et vilitas vestimenti, benedicta et viva erunt opera quando in hoc fundamento subsistent. Ipsa enim cordis humilitas matrix est in qua generantur et ex qua procedunt omnes aliae virtutes et ipsarum virtutum operationes, sicut stipitem et ramos procedere cernimus a radice. Quia igitur tam pretiosa est ista virtus et tam firmum et stabile est hoc fundamentum supra quod consurgit tota perfectio vitae spiritualis, ideo hanc praecipue voluit Dominus ab eo discere nos debere. Et quia radix custosque virtutum omnium est ista cordis humilitas, ideo quasi aliarum virtutum in sua anima et in corpore redundantium oblita fuerit Virgo Maria, de hac sola se commendavit et pro hac praecipue de se Deum humanatum esse firmavit, dicens: Quia respexit humilitatem ancillae suae etc. In hac itaque humilitate vos, o filii mei, fundare studeatis et omnimode stabilire, ut, tamquam membra coniuncta capiti connexione naturali et vera, in ipsa et per ipsam invenire ac possidere possitis vestris requiem animabus.

O filii mei, et quomodo requiem sive pacem creatura aliqua poterit invenire, nisi in eo qui est summa requies, summa pax, summa pacificatio et summa tranquillitas animarum? Ad quem nulla anima poterit pervenire nisi fundata fuerit in ista humilitate, sine qua omnes virtutes quibus curritur versus Deum videntur et sunt omnino ipsum nihil. Ista enim cordis humilitas, quam ab eo nos discere voluit Deus homo, est lumen quoddam vivificum atque clarum quo intellectus animae aperitur ad cognoscendum suam vilitatem et nihilitatem et divinae bonitatis immensitatem. Cuius bonitatis magnitudinem quanto anima magis cognoverit, tanto magis proficit in cognitione sui ipsius; et videndo et cognoscendo se nihil, tunc magis assurgit ad

cognoscendam et laudandam divinae bonitatis ineffabilitatem, quam per istam humilitatem videt et intelligit ita plene. Et inde incipiunt oriri virtutes.

<Ut prima cunctarum virtutum, scilicet dilectio Dei et proximi, ab humilitate oritur, ita ceterae omnes a lumine humilitatis originem trahunt>

Nam prima virtutum omnium quae est dilectio Dei et proximi, ab hoc lumine trahit originem. Quia anima, videndo se nihil et Deum pro tam vili nihili inclinatum et vilificatum et etiam suae nihilitati unitum, accenditur in amore et accensa ipso amore transformatur in Deum, in quem transformata quae creatura est quam non diligit iuxta posse? Certe immo amore Creatoris, ut sic transformata est, omnem creaturam diligit sicut decet, quia in omni creatura Deum videt, intelligit et cognoscit. Et hinc est quod in bonis proximi gaudet et laetatur, et in malis eius dolet et contristatur. Quare? Quia benigna est.

Nam videndo mala proximi spiritualia sive corporalia, in spiritualibus non inflatur ad ipsum iudicandum et despiciendum quia illuminata lumine supradicto videt se perfecte, et videndo se intuetur et cognoscit se in consimilibus malis quae in proximo videt se cecidisse, vel, si non cecidit, cognoscit et intelligit se per se non potuisse resistere sed auxilio gratiae ipsam manu tenentis et eam contra malum fortificantis. Et ideo in iudicando non extollitur, sed ex hoc magis humiliatur, quia in defectu proximi ad se revertitur et videt clarissime mala et defectus in quos cecidit vel, nisi teneretur a Deo, cadere potuisset. Corporalia vero mala si videt in proximo, per affectum amoris transformativi reputat esse sua, et dolet et compatitur, sicut apostolus cum dicebat: Quis infirmatur et ego non infirmor etc.? Et sicut de ista virtute dilectionis dixi quod originem trahit a radice huius humilitatis, sic posset dici de fide, de spe, sic de virtutibus singulis, quae secundum proprietates ipsarum omnes ab hoc humilitatis fundamento habent initium atque ortum; de quibus per singula dicere longum esset, melius forte tacendo poteritis cogitare.

<Humilitas pacem animae et societatis eximie comparat atque unitatem tutam reddit, moderatione linguae minime seclusa>

Hoc igitur, o filioli mei, vobis dico ut in hoc fundamento stetis, in hoc firmemini, in hoc crescere studeatis. Vere enim qui in hac humilitate fundatur, habet conversationem angelicissimam, purissimam, benignissimam et pacificam. Et quia benignissimus est, omnibus est placibilis et efficitur omnibus amarus, et praecipue praedestinatis quibus convertendis ponitur in lumen et in exemplum qui propter hanc mansuetudinem benignissimam citius conveniuntur. Et quia pacificus est pacificatione interna, nulla adversitate turbatur et potest cum apostolo veraciter dicere: Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an fames etc.?

Currite, filii mei benedicti, et ab hac inquisitione non quiescatis donec inveniatis hoc fundamentum sine quo in via Dei proficere non valetis. Nam istam inquisitionem video vobis utilissimam et necessariam, quia sine ista humilitate omnes virtutes video nihil esse. O complete, filii, desiderium meum ut in hoc fundamento stetis. Complete sitim meam, filii, ut in hac profunditate vestrae cognitionis et vilitatis profundemini. Complete desiderium meum, filii, quo vehementer anxior, sitio et famesco, ut ex profundatione cognitionis vestrae inabyssemini in immensitatem bonitatis divinae. Si in isto cupo istius immensitatis divinae et cognitionis vestrae fueritis plene mersi, tunc vere pro fundamento humilitatem habebitis quam praedixi.

Et tunc ad lites et contentiones non eritis ita proni, sed potius eritis cum Deo homine passionato sicut surdi non audientes et sicut muti qui aperire nequeunt ora sua; atque ita eritis veracia membra corporis Jesu Chrsti, quorum consuetudo est secundum apostolum non contentionibus deservire. O quanta bona facit ista humilitas, quae se repletos facit pacificos et quietos! Nam tales ita sunt pacificati exterius ex quietatione interiori, ut cum dura audiunt vel contra seipsos vel forte contra aliquam veritatem, ad se excusandos respondere nesciunt nisi breviter et submisse; et ad id quod falsum aliquando eis videtur, potius suam ignorantiam confitentur et se reputant quod dicitur non intelligere, quam velint cum contentionibus respondere. Et huiusmodi linguae detruncatio non video ab alia radice procedere nisi ab hac duplici inabyssatione divinae, scilicet immensitatis et cognitionis propriae vilitatis, quam inabyssationem anima invenit in lumine praedictae humilitatis.

<Vera humilitas acquiritur oratione et meditatione “Libri vitae”, i.e. passionis Christi in anima, corpore et singulis membris, quae peccata hominum expiavit>

Sed ubi, quaeso, ista humilitas, ubi ista vilitas, ubi istud lumen, ubi haec inabyssatio, ubi haec linguae detruncatio invenitur? Aut per quam viam ad haec quae praedixi venitur? Nempe in oratione ferventi, pura et continua inveniuntur omnia supradicta. In qua oratione praecipue et specialissime docetur anima respicere et legere librum vitae, scilicet vitam et mortem istius Dei et hominis crucifixi. Cuius crucem aspiciendo datur ei perfecta cognitio peccatorum, ex qua humiliatur; et in ipsa cruce, videndo suorum multitudinem peccatorum et quomodo cum membris omnibus Deum offendit, videt etiam divinae super se miserationis deviscerationem ineffabilem, scilicet quomodo iste Deus homo pro peccatis singulorum membrorum poenam crudelissimam sustinuit in membris singulis sui corporis benedicti.

Considerat itaque anima in hoc crucis aspectu quomodo cum capite Deum offendit, scilicet lavando, pectinando, unguendo, ut appareret hominibus contra Deum; et postea intuetur quomodo iste Deus homo pro peccatis huiusmodi in suo capite paenitentiam fecerit et poenam sustinuerit valde gravem. Nam pro lotura, pectinatura et unctura qua anima est abusa, suum caput sanctissimum fuit capillis depilatum, spinis punctum et perforatum, et totum pretioso sanguine cruentatum et etiam harundine verberatum.

Videt etiam quomodo cum tota facie Deum offendit et in speciali cum oculis, naribus, auribus, ore et lingua; et sic cogitat quomodo ipse Jesus ignominatus fuit in facie pro paenitentia huiusmodi peccatorum. Pro lotura enim faciei, qua anima videt se offendisse Deum, videt Christum alapis caesum et sputis inquinatum. Quia oculis inhoneste respexit vana et nociva conspiciendo et ipso aspectu fuit contra Deum delectata, videt Christum pro peccato oculorum nostrorum oculos habere velatos et sanguine manante a capite de foraminibus spinarum cruentatos et etiam in cruce plorando lacrimis balneatos. Auribus quoque, quia Deum offendit, vana et nociva audiendo et tali auditu fuit delectata, intuetur Christum pro tali peccato paenitentiam horribilissimam pertulisse; nam suis auribus audivit clamores illos horribiles contra se dicentium: Crucifige, crucifige; etiam se audivit ab iniquo homine pro redimendo homine condemnari et ab impiis derideri et blasphemari. Et quia ore et lingua cognoscit anima offendisse se Deum, verba vana et mortifera dicendo et ciborum fuit suavitatibus delectata, videt Christum ex hoc os sputis habere pollutum, linguam et os pariter aceto et felle amaricatum. Quia etiam odoribus suavibus delectata videt anima offendisse se Deum, recogitat quos foetores terribiles sputorum scilicet Christus pro nobis suis naribus sensit.

Considerat denique anima crucem aspiciens quomodo collo Deum offendit agitando illud ira et superbia contra Deum, et pro peccato huiusmodi videt Christum colaphis crudelissime verberatum.

Videt etiam anima inhonestis amplexibus et spatularum gestibus offendisse se Deum; et de hoc considerat Christum talem paenitentiam pertulisse, quia suis sacris brachiis crucem amplexans eam super spatulas suas cum grandi vituperio baiulavit. Videt nihilominus anima quomodo tactu Deum offendit et gressu, manus extendendo ad tangendum illicita et ambulando pedibus contra Deum; et ex hoc videt Christum in cruce expansum, protensum et tractum et in modum pellis hinc inde extensum, manibus sacris et pedibus cruci affixis et durissime sauciatis et clavorum horribilium perforatis aculeis.

Considerat proinde anima quomodo Deum offendit curioso et ambitioso vestium ornamento; et pro hoc videt Christum suis vestibus denudatum et in cruce militibus sua sibi vestimenta dividitibus cum ignominia elevatum.

Videt etiam se Deum cum toto corpore offendisse; et pro tali offensa videt Christum toto corpore flagellis multimodis horribilissime tormentatum, lancea etiam perforatum et totum corpus pretioso sanguine cruentatum. Et quia anima per peccata singula fuit interius delectata, videt Christum in anima sua sanctissima dolores multimodos, diversos et horribiles pertulisse, scilicet passionis corporeae qua anima indicibiliter cruciabatur, et compassionis Matris sanctissimae, et per peccatum subtractae divinae reverentiae, et etiam ex compassione nostrae miseriae. Qui dolores, in anima illa sanctissima simul adunati, ipsum horribilissime et indicibiliter cruciabant.

<Accedendum est ad crucem Domini, cuius aspectu contritio cordis et humilitas recipiuntur, simul cum sensuum abnegatione vel "spirituali circumcissione">

Venite igitur, o filii mei benedicti, et respicite istam crucem, et Christum in ea pro nostris iniquitatibus mortuum mecum plangite, quia nos ipsi fuimus causa tanti eius doloris.

Et qui non ita cum omnibus membris et cum se totis Deum offenderunt sicut ego, quae sum tota peccatum, non minus plangent et doleant; quia non ipsi restiterunt peccatis sed gratia Dei eos defensavit, et sic defensati non ei grati fuerunt; unde eis omnimode est dolendum.

Si vero aliqui sunt qui in nullo mortaliter offenderunt, similiter et ipsi doleant et plangent; quia in statu puritatis et virginitatis non ita Deo placere studuerunt sicut debuerunt, et non ita aliis exemplariter profuerunt sicut debuerunt; et sicaliqua sua puritatem maculaverunt.

Unde omnibus est plangendum, omnibus est dolendum et in istam crucem mentales oculos erigendum, in qua iste Deus homo Christus Jesus pro peccatis nostris tam horribilem paenitentiam fecit et poenam sustinuit ita duram. Quia in isto crucis aspectu, ad quam anima non nisi per veram et continuam orationem potest accedere, ut dictum est, recipitur plena cognitio, dolor et contritio de peccatis et lumen praedictae humilitatis.

Videndo itaque anima in hoc crucis aspectu sua peccata, omnia ac etiam singula, ut praedictum est, et Christum pro omnibus et singulis peccatis ita passionatum, afflictum et doloratum, dolet et ipsa similiter et tristatur; et dolendo, singula membra

et omnes sensus quibus Deum offendit incipit punire et refrenare. Et hic accipit circumcisionem veram et spiritualem, quam Christus in sua circumcissione voluit figurari. Nam Christus non fuit principaliter propter aliud circumciscus nisi ut nobis exemplum ostenderet spiritualis circumcisionis, quae animae, sicut dictum est, in crucis aspectu donatur.

Quam vos, o filii mei benedicti, isto modo procurate habere, ut qui Deum oculis offenderunt, vana et nociva conspiciendo, iam ipsos oculos circumcidunt ab aspectu illicito compescendo et eos conterant per singulas noctes flendo. Qui gula praecipitati Deum offendisse se vident, iam ipsam gulam circumcidant et puniant, a ciborum delectationibus abstinendo et sobrietatem animae et corporis conservando. Qui vero ore et lingua Deum offenderunt, superba loquendo, scandala seminando, aliis detrahendo, inaniloquio insistendo vel forte blasphemando, iam ipsam linguam circumcidant et puniant, sua peccata confitendo, verba pacificationis et sanctae exhortationis proximis colloquendo, Dei laudibus per orationem continuam insistendo et taciturnitatem in quantum possibile est servando. Et sic omnia membra et omnes sensus ac motus animae, o filii mei benedicti, studete Christo Domino consecrare sicut meministis ipsum cum omnibus offendisse, ut numerum criminum convertatis ad cumulum meritorum.

Quod, ut melius faciatis, vitam vestram quotidiana examinatione discutite et ad minus semel in die vos ad hoc recolligite et omne tempus praeteritum ante mentis oculos revocate. De quo tempore, si quid bene expensum meminieritis, Dominum collaudate; et de contrario ingemiscite et dolete. Et haec est vera circumcisio animarum, figurata circumcissione Christi. Deo gratias.

INSTRUCTIO VI

<SIGNUM VERI AMORIS, ID EST VOLUNTATEM AMATI ADIMPLERE, HABET TRES GRADUS ET DISSIMILITUDINES>

(Primum signum veri amoris)

Primum signum veri amoris est quod amans submittat voluntatem suam voluntati amati. Et hic specialissimus et singularissimus amor habet tres operationes.

Prima operatio est quia si amatus est pauper studet depauperari, si vilis studet vilificari.

Secunda operatio huius amoris est quod facit relinquere omnem aliam amicitiam, quae huic posset esse contraria, et facit laxare patrem, matrem, sororem et fratrem et omnem aliam affectionem contrariam voluntati amati.

Tertia operatio huius amoris est quia nihil occultum potest esse in uno quod alteri non revelet. Et haec tertia operatio, secundum iudicium meum, est summa et complementum omnium aliarum operationum; quia in hac secretorum revelatione aperiuntur corda et invicem perfectius colligantur.

INSTRUCTIO VII

<CAUSA ET RATIO TEMPTATIONUM IN ANIMA PURIFICANDA, CULPIS POENISQUE OBNOXIA>

(Ego sum occaecata)

<Temptatio tamquam instrumentum divinae iustitiae evadit, quo salutariter ab nostra peccata praeterita punimur>

Ego sum occaecata et obtenebrata et sine veritate. Et ideo, filioli mei, omnia verba quae habetis a me, habeatis suspecta sicut a persona maligna; et omnia bene notetis et nullis verbis credatis, nisi illis quae simulantur vestigiis Jesu Christi.

Non me delectat modo scribere; sed propter multas litteras, quas minitis, cogor vobis scribere. Hoc autem vobis scribo, quod noviter impressum est cordi meo, scilicet quod cum illo vitio cum quo homo Deum offendit, cum illo eodem debet puniri.

Et primo dico de vitio superbiae, quae est radix omnium malorum. Quando anima per gratiam Dei est humiliata, cum omnibus viribus suis conatur expellere superbiam a se; et quando anima renascitur in Deo, efficitur humilis et desiderat cum toto corde suo esse sine superbia. Nihilominus tamen superbia in ipsa venit sine ipsa anima sed quando venit superbia cum placimento efficitur culpa, sed veniendo sine placimento animae, anima efficitur amaricata et afflicta; et quando venit sine illo placimento, tunc anima est posita in sede veritatis, in qua anima non est capax alicuius superbiae sed ideo venit sine consensu animae ad puniendum consensum qui praeteriit. Et ideo, filioli mei, confortamini et recipite fortitudinem, quia Deus vult punire in vobis defectum cum defectu.

Et similiter est de vitio avaritiae. Quia videndo anima abundantiam divinam, efficitur larga; et tamen est in illo vitio stimulata ad puniendum culpam praeteritam. Et ita simili modo de vitio carnali. Sed non solum debent puniri illi, qui in operibus propriis carnalibus ceciderunt, sed etiam illi qui in tenuissimis cogitationibus propria sua negligentia ceciderunt. Et ideo, filioli carissimi, non miremur si in temptationibus punimur, quia omnis culpa de necessitate debet puniri.

Et nonne videtis quod vanam gloriam et hypocrisiam non potest homo repellere a se? Et hoc contingit propter culpam praeteritam vel contingit propter meritum animae. Ergo, quomodocumque contingat, contentemur si sumus victores.

Et nonne videtis, filii, quod quando aliquis dicit horas suas et non stat totus in dicendo horas, quia quando homo debet esse totus in illo qui est, et non est, dignum est ut puniatur? Et ideo quando dicit horas suas, dicit et non dicit quia non stetit ibi totus et ideo laborat et a capite reiterat quia dignum est ut in tali labore puniatur et iterando vult meditari in eo quod dicit, et subito de illo trahitur et de illo non recordatur. Et hoc fit ad vindictam nostrae malitiae; quia cum oramus, Deus vult quod integre oremus et non divise. Et ideo in oratione cor integrum in Deo habeamus et non divisum; quia si divisum cor habemus, fructum verae orationis amittimus. In aliis vero exercitiis quae agimus integri esse non debemus, scilicet in comedendo, bibendo, eundo et redeundo, et alia negotia faciendo; sed dum talia exterius operamur, cor integrum in Deo habeamus, si fructum verae orationis sentire desideramus. Nam ideo in oratione temptamur, quia cor integrum in oratione non habemus.

Sed cum temptamur, duo consideremus. Primo, iustitiam Dei quae operatur in nobis vindictam suam; et in hoc multum gaudeamus videndo iustitiam Dei, quae, quidquid in nobis operatur, iuste operatur. Secundo, cum temptamur consideremus quod iuste temptamur, quia culpa propria temptamur; et in hoc multum doleamus, quia Deum

turpiter offendimus.

<Temptatio, ex imperfectione animae oriens, eradicatur amore divino, qui gradatim et funditus animam transformat>

Sed si volumus a temptationibus liberari, debemus totaliter in istum Deum amantem transformari et eius voluntatem inquirere; et inquirendo debemus cum eo uniri; et uniendo debemus omnes proprietates eius scrutari; et scrutando debemus in ipsis proprietatibus nos totaliter exercitare; et viriliter in ipsis exercitati, in nobis nullum vitium poterit permanere.

Tres autem sunt proprietates necessariae amantibus.

Prima haec est, esse transformatum in voluntatem amati. Voluntas autem Amati videtur mihi quod sit via quam ostendit nobis per semetipsum, quia ostendit nobis paupertatem, dolorem et despectum et oboedientiam veram. Et cum totaliter est anima exercitata in istis, nullum vitium et nulla temptatio potest in eam intrare.

Secunda transformatio est quando anima cupit cum magno desiderio transformare se in proprietates amati. Proprietates Amati nolo vobis dicere nisi tres, quia vos scitis melius me; sed istae tres sunt istae. Prima es amor, hoc est diligere omnes creaturas secundum convenientias earum. Alia proprietas est esse vere humilis et benignus. Alia proprietas est quam Deus dat legitimis filiis suis, hoc est videlicet immutabilitas; nam quanto anima est proximior Deo, tanto minores mutabilitates in se recipit, et ideo nos verecundamur quando aliqua res vilis movet nos, et in hoc cognoscamus nostram miseriam.

Tertia transformatio est esse totaliter transformatum intus in Deum; et tunc est extra omnes temptationes, quia non est in se, sedest in illo qui est. Sed quando revertimur ad nostram miseriam, custodiamus nos ab omnibus creaturis et a nobis ipsis. Et rogo vos ut sitis vestri, et nolite vos ipsos dare nec praestare in totum alicui creaturae, sed date vos totos illi qui est.

<Hortatio ad quasdam temptationes in munere pastoralis, id est vacuas blanditias vitandas et sanctam veritatem nuntiandam>

Et quando aliquis vestrum praedicat vel confessionem audit vel aliis consilium praebebat, mens sua non sit cum ipsis creaturis sed cum Creatore; et non faciamus sicut faciunt fatui, quia ubi est oculus fatui, ibi est totum cor suum. Et quando invenitis blanditores homines vel mulieres, qui dicunt vobis: O, frater mi, propter tua verba ego sum conversa ad paenitentiam, nolite respicere ad illas creaturas, sed respicite in Creatorem et regratiemini Creatori de hoc beneficio. Multi enim sunt praedicatores falsitatis, qui cum avaritia praedicant et propter avaritiam praedicant honoris et pecuniae et famae. Sed, o filioli mei carissimi, ego desidero cum tota me ut vos sitis praedicatores sanctae veritatis, et liber vester sit iste Deus et homo; et non dico vobis ut libros vestros dimittatis, sed sit vestra voluntas in tenendo et dimittendo. Et non desidero ut sitis praedicatores in verbis solius scientiae, id est in siccis verbis recitare facta sanctorum, sed cum divino saporamento de illo eodem quod illi habuerunt quorum facta recitantur; nam illi qui cum tali saporamento sunt bene praedicati in se ipsis, sciunt aliis bene praedicare.

<Contra omnes temptationes singularissimum remedium est meditatio Genitricis Dei Mariae virginitatis>

Et est aliud singularissimum remedium contra omnes temptationes, scilicet recordari vive de illa virginitate et de illa honestate, quae fuit in singularissima Virgine Matre Dei, et recordari quomodo ista virginitas et honestas fuerunt amatae et securatae ab ea et quomodo ipsas perfecte diligit in omnibus filiis Dei. Et debemus videre quomodo istae virtutes fuerunt amatae ab isto Deo homine; et haec visio duo facit, unum quod repellit a nobis omnes temptationes, aliud quod docet nos totaliter circumcidi intus et extra. Igitur, filioli mei, memoria istarum virtutum Matris Dei sit semper in anima vestra. Amen.

INSTRUCTIO VIII

<SERVIRE, DILIGERE ET PATI PROPTER BONITATEM DEI>

(O fili, desidero cum tota me)

O fili, desidero cum tota me ut sis amator et sectator doloris. Et desidero cum tota me ut tu sis desolatus ab omni consolatione temporali et spirituali; et haec est mea consolatio, rogo te ut sit tua. Ego non intendo servire nec amare propter ullum praemium, sed intendo servire et amare propter bonitatem Dei incomprehensibilem. Et desidero ut crescas noviter et renascaris in isto desiderio, ut sis desolatus ab omni consolatione propter amorem Dei et hominis Jesu Christi desolati. Tibi non facio aliam salutationem nisi istam, scilicet ut in unione divina crescas semper et in fame et in siti esse tribulatus dum vivis.

INSTRUCTIO IX

<AD UNITATEM MENTIUM ET CORDIUM, PARVULOS ESSE OPORTET>

(O carissimi animae meae)

O carissimi animae meae, desidero de vobis quod et de me et de socia mea, ut semper idem sapiatis et non sint in vobis schismata. Nam illud, quod omnes discordes facit consentire in unum, desidero quod sit in anima vestra, quod est esse parvulum. Et hoc esse parvulum non facit respicere ad aliquam sufficientiam scientiae nec sensus naturalis, sed solum inclinatur ad videndum defectus et miseras suas; et cum seipso et contra seipsum quaestiones movet ut convincat defectus suos, eosque emendare conetur. Hoc autem esse parvulum nulli imminet nec facit hominem onerosum nec contentiosum in verbis, quamvis vita sua omnes feriat huic parvulitati contrarios. Et hoc est quod de vobis desidero, o intimi mei, ut vita vestra, lingua tacente, in via istius parvulitatis et paupertatis et zeli discreti et discretiae compassionis sit clarum speculum volentibus eam sequi et sit spata acuta adversariis veritatis.

O intimi mei, parcatis superbiae meae, quod ego superbissima et filia superbiae audeam vos monere et ad viam humilitatis inducere, cum sim tota contraria ipsi humilitati, sed zelus et securitas facit me sic loqui; nam sic loquor vobis secure sicut animae meae. Et ideo, quamvis superbe, tamen quia confidenter locuta sum, parcatis obsecro mihi.

O carissimi mei, multum pacaretur anima mea, si audirem de vobis quod hoc esse parvulum fecisset vos unum cor et animam unam, sine qua unitate non video in veritate quod possitis bene placere Deo.

INSTRUCTIO X

<DE MULTIPLICI AMBITIONE VITANDA, QUO MELIUS ANIMA ATTENDAT
AD DEUM>

(Nihil est nobis necesse nisi Deus)

Nihil est nobis necesse nisi Deus. Invenire Deum, est mentem nostram in ipso recolligere. Et ad hoc, ut melius recolligatur mens, est detruncanda omnis superflua consuetudo vel familiaritas et omne superfluum parlare, et nolle scire multa nova; et breviter se dividat ab omnibus a quibus mens spargitur, et intret ad cognoscendum abyssum miseriarum suarum, et cogitet quid operatus sit in tempore retrocesso et quid operatur in praesenti, et videat bene quid boni poterit Deo assignare. Et nulla dies sit quod non consideret istud; et si dies transeat, non transeat nox. Etolve te, anima, ad cognoscendam divinam misericordiam, quomodo Jesus Christus tecum dispensavit in omnibus miseriis tuis; et custodias te bene ut sis grata et beneficii huius non obliviscaris.

Et custodias te a superbia. Et pugna contra honorem et contra omnes vanitates et contra honorem spiritualem ac etiam temporalem et contra gulam et contra avaritiam; et noli habere aliquid nec parum nec satis nec ullum quid, quod te faciat avarum; et noli habere ullam curialitatem, et non desideres aliquam sufficientiam. Ista enim sunt filiae superbiae, quae non dimittunt animam elevari in altum.

INSTRUCTIO XI

<DE PAENITENTIAE OPERIBUS PUBLICIS ET PRIVATIS>

(Si unus solus faceret omnes paenitentias)

Item dixit quandoque, quod si unus solus faceret omnes paenitentias quas omnes homines de mundo faciunt, non esset sufficiens ad promerendum ea quae promittuntur et expectantur. Unde quilibet deberet conari facere paenitentiam in occulto quantum plus potest et desiderare quod non potest facere; et etiam facere in publico, dummodo in intentione nolit videri, quia dimittere bonum ut non videatur est tepiditas, unde nullo modo debet propterea dimitti. Et in his habemus exemplum Magistri nostri, qui multa fecit quae nunquam fuerunt scita, et tamen tantus fuit eius amor quod multa fecit in publico.

INSTRUCTIO XII

<OMNIA SUSTINERE OPORTET AD ADIMPLENDAM TOTO CUM AMORE
VOLUNTATEM DEI>

(Rogo te ego misera)

Item dixit quod tribulationes istius mundi significabant consolationes aeternas; et ideo non est multum curandum in temporalibus tribulationibus, quae finem habent.

Rogo te ego misera, care, quod multum verecundor dicere quia tu scis melius dormiendo quam ego vigilando quamvis significes mihi tribulationes, licet si ego essem bona christiana tribulationes essent mihi consolationes quod tribulationes istius mundi significant tibi aeternas consolationes.

Rogo etiam te, quod non occupes te in rebus exterioribus, de quibus es modo invitatus et mundus ex parte sua continue invitat. Scis enim bene melius me quod aliud faciunt

filii qui sunt filii solum per creationem, et aliud illi qui sunt per gratiam. Et non est dubium quod qui multum diligit, multum vult esse dilectus; et qui totum dat, totum revult. Et ideo prego te, fili carissime, quod facis, facias secundum velle suum; et quia ego credo quod sis filius Dei carissimus et quod Deus velit te totum et non partem de te sed totum, ideo rogo te quod nec causa perdendi seu acquirendi honorem et commodum temporale moveat te, sed secundum velle summi boni omnia facias.

Sustine, fili carissime, quod fiat tibi potius quam tu alteri facias. Et hoc docet nos Magister qui omnia sustinuit, et ipse noluit aliis facere.

Imple, fili mi, tuam mentem gentilem isto increato Deo, et operare et respice ad nobilem vocationem quam Deus fecit de te. Si ipse increatus Deus fixit se in te, rogo te quod figas te in eo. Cresce, cresce, cresce!

Omnes salutationes nostrae compleantur in eo qui est omnis salus. Iuva me ad implendum desiderium meum affamatum de tuo profectu. Rogo Summum Bonum ut saturet me de tuo profectu.

Lumen, amor et pax Altissimi sit tecum. Non sum digna dare benedictionem nec merui; sed si ipse aliquid de benedictione vult dare mihi sua bonitate, ego ex proprio meipsam et do tibi quantum vult ipse Deus.

INSTRUCTIO XIII

<DE OPPORTUNITATE ET BENEDICTIONE TRIBULATIONUM IN VITA FILIORUM DEI>

(De tribulatione quam patimini)

Quadam vice respondens quibusdam tribulatis, confortabat eos sic dicens.

De tribulatione quam patimini habeo vobis cordolium et invidiam. Qui enim sunt afflicti et tribulati interius et exterius, non dubito quod est signum quod sunt dilecti ab Amato. Et sicut scitis melius me, hoc habuit Magister noster. Tribulationem enim quam habuit Magister noster in anima non posset lingua exprimere nec cor pensare, quamvis nostrae tribulationes sint per aliam viam quam suae. Sed quando nostrae apparent defectuosae, studeamus cum totis nobis vincere, sustinere patienter, immo gaudere in temporalibus tribulationibus quae finem habent, et diligere eas ex corde. Et ideo quando recipimus tribulationem, est signum quod sumus dilecti ab Amato quando dat nobis arrham suae haereditatis. Respicite in dolorem istius Desolati, et erit remedium omni vestrodolori; Filius Dei recepit mala pro nobis.

Tria enim facit animae sanctae ista sanctissima tribulatio quam non cognoscimus. Primum est quod facit animam converti. Et si conversa est, facit eam magis converti et adhaerere. Secundum est quod eam facit crescere; sicut enim bona terra bene praeparata, adveniente pluvia, germinat et fructificat, ita anima sancta, adveniente tribulatione, crescit in virtutibus. Tertium est quod purificat, confortat et pacificat et quietat et tranquillat.

Ista sanctissima tribulatio multum convenit vobis; et ideo non mutetis quod Deus fecit et ideo vobis est utilis, et vobis et multis. Credo enim in corde meo cum tota me quod scorgitrices securae et advocati digni et nobiles et testes veraces quibus magis credetur in conspectu Dei, sunt istae tribulationes sanctissimae incognitae. Et credo

firmiter quod nihil aliud tam bene unit cum Deo sicut tribulatio et nihil aliud tenet nos unitos sicut tribulatio, et nihil aliud est quod ita adducat nos ad Deum sicut istae sanctissimae tribulationes. Et ideo non miremini si habeo vobis unam sanctam invidiam.

Rogo quod non exeam vobis de mente quia vos non estis exiti de mente mihi. Credo firmiter, filii mei, quod nobilitas quae exit de sanctissima tribulatione non est cognita; quia esset ibi magna grappiglia.

Lumen tribulorum sit vobiscum. Amor et pax Altissimi sit vobiscum. Benedictio altissimi Dei sit vobiscum aeternaliter, filioli, et nobiscum. Omnes nostrae salutationes compleantur in eo qui omnis salus est. Valete in isto Deo homine passionato et in Virgine Matre eius, et non sitis ei ingrati. Et orate pro socia mea Ma., quae plus solito est infirma, et pro me vilissima creatura.

INSTRUCTIO XIV

<VERA COGNITIO DEI ET SUI IPSIUS EST FUNDAMENTUM ET PRAESIDIUM OMNIS PIETATIS>

(Non miremini, filii mei)

Non miremini, filii mei carissimi, si non rescripsi vobis ad plures litteras quas mihi misistis, quia taliter sum ligata quod nec vobis nec aliis litteras mittere possum nec dicere verba spiritualia nisi haec communia. Et in toto mundo non delectat me aliquid dicere nisi solum haec duo, scilicet cognoscere Deum et seipsum, hoc est iacere continue in carcere suo et nunquam de suo carcere exire. Et si de suo carcere exit, cum dolore et cum vera contritione conetur redire ad carcerem suum. Credo quod qui nescit iacere et stare in carcere suo, non vadat et non habet bonum quaerere alienum et non rimetur desuper se.

O filioli mei carissimi, quid facit omnis revelatio, omnisvisio, omne sentimentum, omnis dulcedo, quid omnis sapientia, quid omnis elevatio, quid omnis contemplatio, nisi homo habeat veram cognitionem Dei et sui? In veritate dico vobis quod nihil. Et ideo miror quomodo quaeritis meas litteras, quia ego non video quod mea littera nec mea verba debeant nec possint vos consolari, nec video quod vos consolationem recipere possitis de illis nisi de hac cognitione. Et de hoc delectat me dicere et non de alio; et in omnibus impositum est mihi silentium nisi in hoc.

Rogo vos care, ut rogetis Deum ut det istud lumen mihi et toti proli, et faciat nos in hoc remanere semper.

Adhuc dico: Visio Increati, amor qui oritur de visione Increati, custodit visionem; sed quia ipse amor et ipsa caritas non custodiunt aliquando bene, revelando secreta visionis quia amor est factus ad dilatandum se ideo est posita alia custodia sicut est sanctus zelus qui oritur de vera visione, qui custodit melius quam amor. Et propter magnam custodiam quam facit iste zelus, de his quae sunt certa facit incerta, et album facit nigrum. Et adhuc ipsamet visio assurgit et ponit a latere amorem et zelum, et ipsamet custodit semetipsam.

Et ideo, filioli mei, sim vobis excusata, quia istud est ligamen quod imposuit mihi et imponit silentium. Et quantumcumque excuse me, tamen ego accuso rectam visionem, quia ipsa recta visio bene novit, unde dicit et faciet me dicere totum illud

quod vobis et aliis erit necesse.

Omnes salutationes nostrae compleantur in Resurrectione Domini et in renovatione quam facit in perfectissimis amatis.

INSTRUCTIO XV

<FILIIS LEGITIMIS DEI PATRIS LECTIONE “LIBRI VITAE” CRUCIFIXI OPUS EST, UT TRANSFORMENTUR IN EUM>

(Si lumen divinae gratiae, o fili)

Si lumen divinae gratiae, o fili carissime, concupiscis, si cor a sollicitudinibus omnibus elongare cupis, si temptationes noxias vis refrenare, si in via Dei perfectus esse desideras, ad crucem Christi currere non pigrescas. Vere enim non est alia via filiis Dei reservata, qua Deum invenire valeant ac inventum etiam retinere, nisi via et vita istius Dei et hominis passionati, quam consuevi dicere adhuc assero esse librum vitae, cuius ad lectionem nisi per orationem continuam accedere nemo potest. Nam oratio continua animam illuminat, elevat et transformat. Illuminata enim lumine in oratione percoepo, clare videt viam Christi praeparatam et calcatam pedibus Crucifixi; per quam, dilatato corde currendo, non solum elongatur a mundi sollicitudine ponderosa, verum etiam supra semetipsam ad divinam degustandam dulcedinem elevatur et, sic elevata, divino infocatur incendio, ut sic illuminata, elevata et infocata, in ipsum Deum hominem transformatur. Et hoc totum in crucis aspectu per orationem continuam invenitur.

Unde, o fili mi carissime, ad istam crucem fugiens, ab eo qui in ea pro te moritur petas illuminari ad teipsum plenarie cognoscendum, ut, in cognitione defectus proprii profundatus, assurgere valeas ad divinae bonitatis dulcedinem plenarius cognoscendam; quia in hoc tibi incomprehensibilis apparebit, cum sic defectuosum te ad suam filiationem assumpserit et se tibi promiserit esse patrem. Non sis ergo ei ingratus, sed tanti et tam amabilis Patris studeas voluntatem in omnibus adimplere. Nam si in legitimis filiis Dei Patris beneplacitum non impletur, quomodo in adulterinis filiis adimplebitur? Adulterini filii appella qui extra disciplinam crucis per carnis concupiscentias evagantur; sed filii legitimi illi sunt, qui suo Magistro et Patri pro se passionato student in omnibus conformari, scilicet in paupertate, dolore et despectu; quae tria pro certo, fili carissime, habeas pro fundamento et complemento omnis perfectionis. Nam istis tribus quae dixi, anima illuminatur veraciter, perficitur et purgatur et ad divinam transformationem aptissime praeparatur.

INSTRUCTIO XVI

<DE SEX SIGNIS QUIBUS DEUS MANIFESTAT AMOREM>

(Signa quibus Deus Pater manifestat amorem)

Signa quibus Deus pater manifestat amorem suum animae quam diligit, sunt sex.

Primum signum est benedictio; Deus enim Pater animam, quam diligit, primo benedicit. Secundo, ei communicat bona sua. Tertio, admonet. Quarto, corrigit. Quinto, custodit vel defendit. Sexto, conservat.

INSTRUCTIO XVII

<A PUERI JESU NATIVITATE EXSPECTANDA EST COGNITIO SUI IPSIUS
CUM AMORE TRIBULATIONIS>

(O carissime mi et intimate)

O carissime mi et intimate animae meae, desidero cum tota me ut in auribus meis sonet de te, et ut sit in anima tua illud desiderium quod habebant sancti et modo habent de isto Puero qui debet modo venire et nasci, quod nascatur intus in anima tua iuxta desiderium meum.

O carissime animae meae, conare habere cognitionem tui ipsius, quia in veritate non credo quod maior virtus sit in terra quam ista. Unde stude expellere a te omnem aliam cogitationem et imaginationem quae potest nocere animae tuae, et praepara te ad recipiendum istum Filium nasciturum secundum desiderium meum, quia in veritate iste erit qui dabit animae tuae cognitionem sui ipsius. Et ipse erit solus animae tuae, sicut desiderat anima mea ex totis visceribus. Et nunc Consolator consoletur te, anima mea.

Admirata sum multum de verbis quae scripsisti mihi, de tribulatione quam ostendisti mihi in scriptis quando eras Spelli. Ego enim non sum nonaedificata, sed potius aedificata; quia illud quod posuisti mihi pro odio, habui pro amore. Cogitavi autem quod ista est invidia quam aliquando habui Mas., quando credo quod est magis coniuncta cum Deo quam ego. Scias, anima mea, quod in me non cecidit indignatio nisi ex compassione tua; et ideo tribulatio tua fuit plus mea quam mea propria. Rogo te, quantum possum, quod de ista tribulatione non cures amplius, sed expellas eam omnino a te; quia quando erit ablata a te, erit ablata a me. Tribulationem concepi in littera quam scripsisti mihi.

Recordare, fili carissime, quod nunquam fuit aliqua creatura quae me comprehenderet ex odio vel amore, nec erit. Et ideo non attendas ad signa exteriora quia signa exteriora non sunt aliquando vera. Est enim amor qui potest ostendi per signa, et est amor qui non potest ostendi per signa. Rogo te, fili carissime, quod in tali amore sis infusus qui est totus ineffabilis, hoc est in amore qui est sine signis.

Ego desidero cum tota me quod renoveris ad amorem et dolorem istius Dei et hominis passionati. Adhuc desidero cum tota me, quod talem amorem sentias sine mea expressione. Illud quod est novum mihi, sit novum tibi.

Amor divinus et pax divina et benedictio aeterna sit tecum. Amen.

INSTRUCTIO XVIII

<SIVE IN TRIBULATIONE SIVE IN CONSOLATIONE COR ORANS SEMPER
UNIATUR OPORTET CUM DEO ET CRUCIFIXO>

(Desidero multum, fili carissime)

<Angela quemdam filium spirituales hortatur, ut in omnibus temporum conditionibus oret, vigilet et operi intentus sit>

Desidero multum, fili carissime, quod renascaris et renoveris. Desidero, fili, quod omnem pigritiam et negligentiam a te penitus expellas. Desidero etiam, filiule mi, quod non minus ores, non minus vigiles, non minus alia bona opera facias quando

esset subtracta tibi gratia, quam si haberes ipsam gratiam divinam.

Bonum est, fili mi, et multum Deo acceptum, si cum fervore gratiae divinae oras et vigilas et laboras et alia bona opera facias; sed tunc, fili mi, est Deo omnino gratissimum et acceptissimum, quando in subtractione gratiae sive quando esset subtracta tibi gratia, quod non minus ores, non minus vigiles, non minus alia bona opera facias. Illa eadem operare sine gratia, quae operaris cum gratia.

Unde, fili mi, si divinus fervor sive calor impellit te et cogit aliquando ad orandum et vigilandum et exercitandum, tunc coneris tu, quando ipsi Deo placet subtrahere tibi suum fervorem et calorem sive propter tuum defectum, ut plurimum, sive ut suam gratiam in te magis ampliet et augmentet non minus orare, non minus vigilare, non minus omni bono operi insistere. Et etiam si quando tribulatio et temptatio tibi venirent, quae punire et purgare habent filios Dei, et esset tibi tunc subtracta gratia, coneris tunc non minus orare, non minus vigilare, non minus omni bono operi insistere, non minus contra temptationes resistere et pugnare, ut possis vincere, ut saltem tua continua oratione, tuis vigiliis, tuis lacrimis, tuis exercitiis, tua omnimoda importunitate cogas tu aliquando ipsum Deum ut dignetur tibi reddere et fervorem et calorem suae gratiae.

Facias tu quod tuum est, fili mi, quia Deus bene faciet quod suum est. Oratio enim sforzata multum est Deo acceptissima, fili mi.

<Angela maxima cum dilectione filium suum spiritualem Deo commendat eundemque filium obsecrat, ut orationem nunquam dimittat>

Propter ineffabilem et dulcissimum et consolativum respectum quem ego habeo in isto increato Deo, ipse Deus sua ineffabili bonitate facit me ipsam redire et converti super te et respicere in te; et videtur mihi quod ostendat mihi quasi quidquid est in te et interius et exterius, ita quod cum nova laetitia et ineffabili et omnino alia sum facta in te, in tantum quod oculos meos super te levare non possum. Et scias, fili mi, quod iste amor est ita intensus, quod rogo illum qui fecit quod temperet eum, quia videtur mihi quod non sum mea sed tua. Unde dico intra meipsam: Cui scribo, cum tu sis ego et ego sim tu? Si videres, fili, cor meum, omnino esses ligatus facere omnia quae vult ipse Deus, quia cor meum est cor Dei et cor Dei est cor meum. Desidero, fili, quod risus qui incoepit mihi de te crescat, quia in paradiso erit complementum suum.

Illud quod magis firmat animam in Deo et fortificat est amor, et illud quod facit eam magis teneram est amor. Quodlibet istorum habet suam convenientiam; sed quoniam credo hoc te scire, ideo non explico illud. Scias, fili mi, quod ego vivo cum maximo languore, et hoc habet facere amor, quia quanto aliquid magis diligitur tanto magis desideratur haberi; et ideo, fili mi, quia ego cum tota me desidero te habere ante istam maiestatem divinam, ideo languo. Adhuc, fili mi, iste amor generat magnum zelum, qui zelus est poenosus; et propterea iste zelus est poenosus, quia continue cumtota me timeo quod in te non sit aliquid quod impediat te in via Dei.

Et ideo, fili mi, cum tota me rogo te quod non leves oculos animae tuae de isto Deo homine passionato, si tenes eos ibi, qui habet totam animam infocare; quod si non tenes eos, coneris cum toto te tenere eos et figere eos ibi. Adhuc, fili mi, desidero cum toto corde meo quod si mens tua est elevata ad videndum istum Deum hominem passionatum bene mihi placet; et si mens tua non est elevata ad videndum istum Deum hominem passionatum, redi et reincipias a capite vel a pede, et arranna omnes

istas vias passionis et crucis istius Dei hominis passionati. Quod si non potes rehabere et reinvenire cum corde, dicas sollicite et frequenter cum ore, quia illud quod frequenter cum ore dicitur, dat cordi fervorem et calorem.

Rogo etiam te, fili mi, ego stulta, quod mundus non sit tuum suppositorium nec appodies te mundo, quia quicumque appodiaverit se mundo inveniet se deceptum, quia mundus est omnino falsus; sed suppositorium tuum sit iste Deus homo passionatus. Unde quicumque videret istum Deum hominem passionatum ita pauperrimum et plenissimum ineffabili dolore et continuo et ita despectissimum et omnino annihilatum, et hoc videre esset per gratiam, certa sum quod sequeretur ipsum et per paupertatem et per continuum dolorem et despectum et vilitatem. De gratia divina nullus potest excusari quod non possit habere et invenire eam. Liberalissimus Deus liberalissime suam gratiam omnibus elargitur, hoc est volentibus et quaerentibus illam.

Desidero etiam, fili mi, quod non impleas te nisi isto Deo increato, et quod in mente tua non sit alia impletura nisi ista impletura istius increati Dei. Quod si hanc impleturam, scilicet istius increati Dei habere non potes, teneas et habeas illam quam supra diximus, scilicet impleturam istius Dei hominis passionati. Quod si utraque, fili mi, subtraheretur tibi, non quiescas donec reinvenias et rehabeas unam istarum impleturarum, quia nullo modo est standum sine una istarum impleturarum.

Lumen, amor et pax altissimi Dei sit tecum. Benedictio altissimi Dei sit tecum aeternaliter, fili mi. Vale in Deo homine Jesu Christo et in Virgine Matre eius, et rogo quod non sis ingratus isti Virgini benedictae quae tantum est sollicita de te. Et ora pro socia mea, quae est multum infirmissima et sollicite facit quod tibi promisit, et pro me vilissima creatura et pro omnibus fratribus et sororibus tuis.

In aeternum sumus obligatae venerabili patri nostro et vestro, fratri Ioanni generali ministro, de tanto beneficio nobis impenso, tam vilissimis et abiectis personis. Ille, cuius est retribuere, retribuatur sibi et tibi, fili mi.

INSTRUCTIO XIX

<IN VISIONE DIE PURIFICATIONIS HABITA, ANGELA "OFFERTORIUM" SUUM REVERA CELEBRAT>

(In Purificatione beatae Virginis)

<Angela videt Matrem Dei offerentem sibi filium suum eundemque ponentem in brachiis suis>

In Purificatione beatae Virginis, quando in mane dabantur candelae in ecclesia Fratrum Minorum de Fulgineo, facta est mihi locutio dicens sic: Haec est hora quando Domina cum Filio suo venit in templum. Et quando anima audivit hoc, audivit cum tanto amore, quod nullo modo potest de eo dici vel intelligi aliquid.

Et tunc anima fuit elevata et vidit Dominam intransentem illa hora, et obviavit sibi cum magna reverentia et amore. Et ipsa Domina dedit animae de se magnam securitatem; et extendit versus me Filium suum et dixit: Accipe, dilectrix Filii mei; et, dicendo verba, extendit brachia et posuit in brachiis meis Filium suum, qui videbatur oculos habere clausos quasi dormiret et erat pannis involutus sive fasciatus. Et ipsa Domina, quasi ab itinere fatigata, sedit et faciebat tam pulchros et delectabiles gestus et habebat

tantum delectabiles mores et modos, quod erat tantum dulcissimum et delectabilissimum et videre et aspicere ipsam, quod saepe saepeolvebam me ad videndum Puerum illum, quem sic astrictum tenebam in brachiis, et saepe saepeolvebam me ad ipsam Dominam tam pulchram et respiciebam eam.

Et tunc subito ipse Puer remansit mihi in brachiis totus nudus, et aperuit atque elevavit oculos et respexit. Et tunc in respicere illorum oculorum habui et sensi tantum amorem quod me vicit omnino; et ivi cum facie mea usque ad faciem suam et adhaesi faciem meam faciei suae; et fuit tantus ignis super illud aperire et elevare oculorum illius qui sic mihi in brachiis totus remansit nudus; et illud quod resultabat de isto Puero et de oculis istius Pueri, erat unum bonum indicibile omnino quod sensi, et nescio aliquo modo dicere.

<Visione inspirante, Angela seipsam et omnes filios spirituales Deo offert, qui benigne annuit>

Et tunc subito apparuit una immensa maiestas et dixit: Qui non me viderit parvum, non videbit me magnum. Et dixit: Ego veni et obtuli tibi, et tu offeras. Sed non dixit quid vel quomodo vel cui deberem offerre.

Sed tunc anima subito modo mirabili et ineffabili obtulit seipsam ei, deinde obtulit aliquos de filiis in speciali et nominatim et obtulit se et eos perfecte et totaliter, nihil de se et de eis reservando sibi et eis et deinde obtulit omne in communi. Et tunc vidit et intellexit anima quod Deus illam oblationem acceptabat et cum magna alacritate recipiebat. Et de ineffabili alacritate et delectatione et dulcedine, quam habui videndo quod cum tanta benignitate Dominus meam oblationem recipiebat et acceptabat, nullo modo possum dicere.

<Postero die, cupiens illis obtemperare quae Deo placent, mirifice exauditur>

Die vero Veneris immediate sequente ipsum festum, cum de mane dicerem Deo: Scio quod tu es Pater meus, quod tu es Deus meus, quod tu es Dominus meus, doce me quid vis quod ego faciam, instrue me in his quae tibi placent quia sum parata oboedire; cum in his verbis et similibus stetissem usque ad tertiam, tunc fuit dictum mihi: Ego scio, scilicet quod mihi placet. Et hoc quidem verbum audivi; sed illud quod vidi et intellexi et quod mihi ostendit nullo modo scio nec possum dicere, cum tamen libentius dicerem quod intellexi quam verbum quod audivi, sed fuit una abyssus omnino ineffabilis. Et ostendit mihi quid es tu ipse et qui vivunt in ipso et qui non. Et dixit: In veritate dico tibi quod non est via recta nisi illa quae sequitur mea vestigia, quia in via mea nulla est deceptio. Et verbum illud, scilicet “in veritate”, saepe et in multis locutionibus dixit mihi.

INSTRUCTIO XX

<IN FESTO ANGELORUM, PER EORUM INTERCESSIONEM VISIO CRUCIFIXI ANGELAE CONCEDITUR EXTATICA>

(In festo Angelorum)

In festo Angelorum de mense septembre, dum eram in ecclesia Fratrum Minorum de Fulgineo et volebam communicare, quando appropinquavit hora communicandi ego tunc et antea rogaveram ipsos angelos et praecipue sanctum Michaellem, dicens: O administratores istius Dei, qui habetis officium et potestatem ministrandi et

praesentandi eum aliis, praesentate mihi istum Deum et hominem et praesentate eum mihi talem qualem Pater dedit eum hominibus, scilicet praesentate eum mihi primo vivum, pauperem, doloratum et despectum, vulneratum, cruentatum et crucifixum, et postea praesentate eum mihi in cruce mortuum.

Et tunc ipsi sanctissimi angeli dixerunt mihi cum indicibili placimento: O tota placibilis et delectabilis Deo; ecce administratus est tibi et habes eum praesentem, et insuper datus est tibi quod tu possis eum aliis praesentare et administrare. Et revera tunc habebam eum praesentem sicut petiveram a sanctissimis angelis. Et videbam eum clarissime oculis mentis, primo vivum, totum doloratum, cruentatum et crucifixum, et postea videbam eum in cruce mortuum.

Et tunc sentiebam et habebam dolorem acutissimum, ita quod cor videbatur quasi velle crepare ex praesentia visionis tam dolorosae. Et ex alia parte erat mihi tanta delectatio et tanta laetitia ex praesentia angelorum et sic placibilissimo parlamento quod mihi faciebant, quod nunquam tantum fueram experta illo modo, scilicet de tanto placimento angelici parlamenti; et nunquam credidissem alicui quod tantum essent placibiles ipsi sanctissimi angeli et quod tantam delectationem possent dare animae quantam mihi dederunt.

Et quia rogaveram omnes angelos et praecipue seraphim, dixerunt tunc mihi ipsi sanctissimi angeli: Ecce datum est tibi et communicatum illud quod habent seraphim.

INSTRUCTIO XXI

<ANGELAE AEGROTANTI CHRISTUS ET S. FRANCISCUS ADSUNT>

(Quadam vice quando iacebam infirma)

<Nolentibus fratribus, Christus ei administrat sacramentum infirmorum, munus sacerdotale exercens>

Quadam vice quando iacebam infirma audivi dici mihi haec verba ab isto Deo et homine passionato, et dicebat: Veni ad me, colorata omni colore delectabili. Et dixit: Volo quod tu sis una mea martirella.

Et quando petii sanctissimam unctionem et fratres dixerunt quod de hoc erat aliqualis murmuratio inter fratres, quia paulo ante inuncta fuerat socia mea, et dicebant fratres quod nimis frequentabamus istam unctionem, tunc ego habui aliquale taedium de verbis istis. Et dum iacerem aliquantulum taediata sic, tunc subito dicta fuerunt mihi ista verba: Ego inungam te cum omnibus sacerdotibus meis et eris inuncta.

<Angelae eodem morbo laboranti Christus et Franciscus ministerium praestant>

Et alia vice in eadem infirmitate, iacenti mihi multum debili et afflictae corporaliter, apparuit mihi ipse Deus et homo Jesus valde consolatorius et placibilis. Et primo ostendit mihi illud quo communiter delectantur infirmi, scilicet multam compassionem qua videbatur mihi multum compati. Et postea dixit: Ego veni ad serviendum tibi et volo tibi servire. Et servitium quod faciebat mihi erat istud, quia sedebat ante lectum meum et ostendebat se mihi tantum placibilem quod est ineffabile totum. Et de laetitia inenarrabili et de delecto quod habebam de tam placibili visione et locutione, nihil omnino possum dicere. Et videbam eum oculis mentis longe clarius quam aliquid corporale possit videri oculis corporis; et in ista tam clarissima et

delectabilissima visione erat mihi tanta iucunditas et delectatio mentis, quod omnino est ineffabile totum.

Et postea ostendit mihi beatum Franciscum et dixit: Ecce quem post me tantum amasti; volo quod serviat tibi. Et tunc ipse beatus Franciscus ostendit tantam familiaritatem et amorem intimum, quod totum fuit valde maximum, et delectabar multum in illa tanta familiaritate et amore quem ostendebat mihi beatus Franciscus. Et tunc dixit mihi verba secretissima et altissima. Et postea dixit: Tu es sola nata de me.

INSTRUCTIO XXII

<DE FILIIS DEI LEGITIMIS>

(O filii Dei, transformamini)

<Signum verax filiorum legitimorum Dei est fidelis responsio amoris fideli Jesu Christi "passionati">

O filii Dei, transformamini cum totis vobis in istum Deum hominem passionatum, qui tantum vos dilexit, o filii Dei, qui propter vos tam ignominiosissima et omnino ineffabiliter dolorosissima morte et omnino dolorosissime et amarissime mori dignatus est; et hoc solum ob amorem tui, o homo!

Unde istud est signum verax filiorum legitimorum Dei: amare perfecte Deum et proximum. Et qui multum amat serviri, multum omnino servit. Et quantum iste Deus homo passionatus, o filii Dei, purissime et fidelissime vos dilexit, in nullo sui miserans sed seipsum totum impendens, solum ob tui amorem, o homo, hac amoris puritate, hac humillima fidelitate, iuxta creaturae capacitatem, a suis legitimis filiis vult omnino sibi quodammodo responderi; et ideo semper habuit et habere voluit, qui fide viva ipsi fidelissimo Deo fidelissime servirent. Nunc autem, o filii Dei, iste Deus homo passionatus quasi continue mihi dicit ut vos admoneam, ut ei fidelissimo vobis vos fideles sitis; et omnino qui fidelis est Deo, fidelis est et proximo.

Quomodo autem iste Deus homo passionatus purissime et fidelissime nos dilexerit, et per suum ortum et per suam conversationem et per suam mortem apertissime imbocavit nobis. Sed quoniam infideles sibi sumus, ideo eius pro nobis ortum pauperrimum, dolorosissimum et despectissimum vive et continue non videmus; sic eius pro nobis conversationem mitissimam et divinissimam, pauperrimam, humillimam, salutiferam et laboriosissimam cordialiter non cernimus; propterea eius pro nobis mors pauperrima, humillima, dolorosissima et despectissima, ignominiosissima non facit continue nos totos mortuos.

Et quis est qui huic pro nobis divinissimae et fidelissimae fidelitati, quantumcumque parvula, viva et continua fide respondeat? Immo quasi non factum nostrum fuerit, cuncti post tergum omnia ista proiecimus.

<Ratio fidelitatis nostrae et amoris est, quod Deus potestate dedit creaturis in Filium suum, nosque sic docet>

Videte ergo, o filii Dei, cum totis vobis si isti fidelissimo nobis Deo homini passionato fidelissimi esse debemus, qui non solum creaturis rationabilibus sed etiam ipsis irrationabilibus et insensibilibus creaturis humillime se totum subiecit ob purissimum et fidelissimum amorem pro nobis. Quamvis enim ipse Deus omnia

subiecerit rationali creaturae, sed propriissime sunt subiecta ipsi Creatori; et ipse Creator tantum solum ob tui amorem se annihilavit, tantum se ob tui amorem deiecit et humiliavit quod non solum rationali creaturae sed etiam ipsis irrationabilibus et insensibilibus creaturis plenissimam potestatem dedit ut suum super eum exercerent officium.

<a. Dedit potestatem spinis et ligaturis>

Dedit enim potestatem illis spinis intrandi et perforandi crudelissime illud divinissimum caput eius. Dedit potestatem ligaturis illis et columnae ligandi, stringendi et tenendi ipsum in loco confixum.

Laetificate me, o filii Dei, ut isti fidelissimo Deo vobis sitis fideles et super hanc pro nobis humillimam fidelitatem et fidelissimam humilitatem deviscerate vos ipsos totos. Ecce quia solum pro te ipse Auctor omnis vitae tantum seipsum deiecit, ut te exaltaret, quod ipsa insensibilia ipsum Auctorem omnis vitae percuterent et laniarent et qui est omnino incircumscribitus loco fixum teneretur.

<b. Dedit potestatem velo, frustis, clavis, furcae, spongiae>

Dedit potestatem velo illi ut velaret eum, qui est omnino lux et a quo solo est omne lumen et sine ipso est tenebra. Dedit potestatem illis frustis ut durissime verberarent ipsum. Dedit potestatem illis clavis perforandi et intrandi in illis manibus et pedibus divinissimis eius, ut ita dicam, qui omnia fecit. Dedit potestatem illi furcae, quae crux nominatur, taliter cruentatum, taliter perforatum suum Factorem et Dominum sustentare. Dedit potestatem spongiae et aceto et felli et aliis insensibilibus plurimis ut suo Factori, suo Domino insultarent et plenum dominium super eum haberent. Dedit etiam potestatem lanceae ut intraret et aperiret et perforaret illud divinissimum latus eius.

Debebant enim ipsae creaturae et poterant suo Domino, suo Factori propriissimo oboedire et non creaturae ipsis abutenti. Sed profundissima et fidelissima et omnino inusitata humilitas istius altissimae maiestatis deprimat et confundat superbiam nostrae nihilitatis! Voluit enim esse subiectus et annihilatus ipse Auctor omnis vitae, ipse qui solus est, ab omnibus creaturis ipsis etiam insensibilibus, ut tu, qui mortuus eras et divinorum insensibilis factus, per hanc humillimam eius deiectionem vitam haberes. Et tu, homo, qui nihil eras, tam purissime et fidelissime te dilexit iste qui solus est, ut solum ob tui amorem exinaniri voluit, ut tibi daret perfectissimum esse.

Debebat enim ipsa lancea et poterat se plicare et non oboedire creaturae ipsa abutenti, et non percutere et perforare illud divinissimum latus sui propriissimi Domini et Factoris. Sic et alia insensibilia poterant et debebant non oboedire creaturae contra suum Dominum et Factorem, nisi quia potestatem acceperant super ipsum.

<c. Dedit potestatem diabolo et cordibus et sensibus hominum>

Dedit ipsi diabolo potestatem ut temptaret eum et etiam circumduceret. Dedit potestatem hominibus plenariam super eum. Dedit potestatem eorum cordibus cogitandi perversissima et mortifera contra ipsum. Dedit potestatem eorum sensibus blasphemandi, consiliandi, ordinandi, percutiendi, lacerandi et dolorosissime ipsum crucifigendi et occidendi.

<d. Hortatio conclusiva>

Ergo nunquam, o filii Dei, levetis oculos vestros ab hac fidelissima humilitate, quam iste Deus homo passionatus habuit propter vos. O quanta fidelissima fidelitate iste Increatus servivit suae creaturae, qui solum propter ipsam oboediens fuit etiam ipsis insensibilibus creaturis!

Oboediens fuit solum propter te omnibus tribulationibus. Oboediens fuit solum propter te omnibus iniuriis. Oboediens fuit solum propter te omnibus opprobriis. Oboediens fuit solum propter te omni poenae. Oboediens fuit solum propter te omni dolori. Oboediens fuit solum propter te omni morti. O homo!

INSTRUCTIO XXIII

<INTIMUS DIALOGUS JESU CHRISTI PASSIONATI CUM ANGELA>

(Feria quarta maioris hebdomadae)

Feria quarta maioris hebdomadae, ego eram in meditando de ista morte istius Filii Dei incarnati et conabar evacuare mentem de omni alia impletura, ut possem habere animam magis recollectam in ista passione et morte istius Filii Dei incarnati; et eram tota occupata in studio et desiderio quomodo possem melius evacuare mentem de omni alia impletura, ut possem habere magis vivam memoriam istius passionis et mortis istius Filii Dei.

<“Ego non te amavi per truffam”>

Et tunc subito, dum starem in ista occupatione et studio, divina locutio facta est in anima dicens: Ego te non amavi per truffam. Et tunc istud verbum fuit mihi percussio mortalis doloris, quia statim fuerunt aperti oculi animae et videbam quomodo erat verissimum quod dicebat. Et videbam opera istius dilectionis, et videbam omnia quae fecit iste Filius Dei pro isto amore, et videbam omnia quae sustinuit in vita et in morte iste Deus et homo passionatus pro isto indicibili et deviscerato amore. Et sicut videbam omnia opera verissimae dilectionis in eo intelligebam praedictum verbum verissimum esse in eo quia “non me per truffam” sed perfectissimo et deviscerato amore dilexit, ita videbam totum contrarium in me quia ego non eum amabam nisi per truffam et non vere. Et hoc videre erat mihi poena mortalis et dolor ita intolerabilis quod credebam mori.

<“Ego non te amavi per simulationem et elongationem, sed sum intimatus animae tuae”>

Et tunc subito dicta fuerunt mihi alia verba quae augmentaverunt dolorem. Et verba fuerunt ista, quia postquam dixerat “Ego non te amavi per truffam”, et ego videbam ita verum esse in eo et in me totum contrarium et habebam inde tantum dolorem quod credebam mori, et ipse dixit: Ego non servivi tibi per simulationem. Et postea dixit: Ego non te sensi per elongationem.

Et tunc augmentata fuit praedicta poena mortalis et dolor. Et clamavit anima et dixit: O Magister, istud quod dicis non esse in te, est totum in me; quia ego nunquam te amavi nisi per truffam et cum mendacio, et nunquam volui approximare tibi in veritate ut sentirem de doloribus quos tu pro me sensisti et sustinuisti, et nunquam servivi tibi nisi per simulationem et non vere. Et videndo quomodo me veraciter amaverat et videbam omnia signa et opera verissimi amoris in eo, quomodo totum et totaliter se dedit mihi ad serviendum et quomodo tantum se mihi appropinquaverat

quod factus fuerat homo ut dolores meos veraciter in se portaret et sentiret et videndo totum contrarium esse in me, tantus dolor et poena erat mihi quod credebam mori, et sentiebam quod prae dolore maximo costae pectoris disiungebantur et cor videbatur mihi quod vellet crepare.

Et cum cogitarem specialiter in illo verbo quod dixit “Ego non te sensi per elongationem”, ipse addidit dicens: Ego sum plus intimatus animae tuae, quam anima tua sibi. Sed et hoc augmentavit dolorem quia quanto plus videbam eum mihi intimatum, tanto plus cognoscebam elongationem meam ab eo ex parte mea.

<“Quicumque vellet me sentire, videre, mecum loqui et ad me venire, non auferrem me sibi”, quia “isti sunt filii mei”>

Et postea dixit alia verba manifestativa sui deviscerati amoris, et dixit: Quicumque vellet me sentire in sua mente, non auferrem me sibi; et quicumque vellet me videre, cum maximo placimento darem sibi visionem meam; et quicumque vellet loquimecum, cum maximo delecto loquerer cum eo. Et ista verba excitaverunt in anima mea unum desiderium nolle sentire nec videre nec loqui aliquid in quo posset esse offensio Dei. Et hoc est quod specialiter Deus requirit a filiis suis, ut, quia vocati sunt et electi ab eo ad sentiendum et videndum eum et ad loquendum cum eo, vult quod omnino caveant a contrariis.

Et in principio, quando ostendit mihi proprietates filiorum suorum, dixit: Omnes illi qui erunt amatores et sequaces istius paupertatis, doloris et despectus mei, isti sunt filii mei legitimi; et isti tales sunt filii tui, et non alii. Et illi quorum mens erit fixa in ista passione et morte mea, ubi est vera salus, et non alibi, isti sunt filii mei legitimi; et isti tales sunt filii tui, et non alii.

INSTRUCTIO XXIV

<LEVIS EST IMITATIO PASSIONIS CHRISTI>

(Item dixit aliquando)

Item dixit aliquando quod dicebatur ei a Deo quod illis pro quibus fuit mortuus, leve est mori pro me. Et illis pro quibus dolui, leve est dolere pro me. Et illis pro quibus despectus fui, leve est despici pro me.

INSTRUCTIO XXV

<LIBERTAS, QUAM DEUS CONCEDIT, EST ORDO VOLUNTATIS EIUS>

(Quando Deus dat libertatem animae)

Dixit quadam vice, loquens de libertate quam dat Deus animae, ita.

Quando Deus dat libertatem animae, anima intelligit eum cum plena veritate sine aliqua falsitate, et non solum intelligit sed videt eum et sentit; et aliquando locutione divina audit quod datur sibi libertas quod possit facere quidquid vult facere. Unde et dicit ei Deus: Ego nolo plus nisi sicut tu vis. Et tunc est adunata voluntas Dei et voluntas animae. Et dicitur ei et committitur ei a Deo ut faciat et dicat quidquid vult facere et dicere, nec remanet aliquid quod non totum committatur ei a Deo. Et haec est libertas usus exterioris.

Sed libertas, quae datur animae in elevatione quam facit sibi Deus, non potest dici. Et ille qui elevat eam, apprehendit et tenet eam; et impletur anima summa securitate ut possit facere et dicere quicquid vult corpore et anima. Et statim datur animae et corpori miraculose a Deo unus ordo sapientiae et corpus circumdatur ordine sapientiae, quo non possit in aliquid inordinatum diffluere, et non quod teneatur aliquo timore vel amore sed quia anima est facta una voluntas cum Deo, ut nihil velit nisi sicut Deus vult unde, si Deus dedit ordinem communem infirmis et peccatoribus, ipse Deus, quanto maiorem libertatem donat animae elevatae, tanto strictiori et sapientiori vel maiori ordine ligat eam et tenet.

INSTRUCTIO XXVI

<REVELATIONES ET VISIONES QUAE AD FILIOS SPIRITUALES ET
“PORTIUNCULAM” RESPICIUNT>

(In festo sancti Petri ad Vincula)

<In visione Angela laetificatur audiens et videns quantum filii sui spirituales amentur a Deo et benedicantur>

In festo sancti Petri ad Vincula, quando volebam communicare in missa quae debebat ab uno vestrum dici ad altare quod est in pulpito a latere dextero ecclesiae beati Francisci, tunc subito dictum fuit mihi: Ecce frater talis venit; et hoc dixit de uno filiorum qui novem eramus circa eam ante illud altare. Et quando dixit “ecce frater talis venit”, ego propter dubium nolui elevare caput ut viderem eum; sed quando redii ab altari vidi eum. Et multa fuerunt mihi dicta de eo in speciali.

Et postea de omnibus in generali dicebatur mihi: De istis et de omnibus aliis laetaberis; quia ego petiveram mundationem pro omnibus et petebam laetificari de omnibus. Et tunc ipse omnes mundavit, et dixit: Istis filiis tuis praesentibus et absentibus dabo ignem Spiritus Sancti qui omnes inflammabit et per amorem in meam passionem transformabit totaliter. Et in hoc erit magna differentia; quia qui plus de mea passione recordabuntur, plus de meo amore habebunt; et qui plus de tali amore habebunt, plus erunt uniti mecum. Et plura dixit de ista differentia, quae non recordor. Et in hoc fui maxime delectata.

Et tunc fuit subito anima elevata, et vidi divinam maiestatem modo omnino ineffabili plus quam unquam viderim. Et videbam quod omnes istos filios amplexabatur; sed aliquos tenebat quasi a latere, aliquos magis circa suum pectus et faciem, sed aliquos amplexabatur totaliter; et hoc erat secundum differentiam transformationis passionis Christi et sui amoris. Et hi omnes de Deo gaudebant, scilicet primi, secundi et tertii; sed illi qui erant totaliter amplexati et stabant recta facie versus Deum, gaudebant ineffabiliter supra omnes. Et in hoc ego ineffabiliter delectabar.

<Altera visione, Portiunculam ingrediens, miratur eam divinitus ampliari in magnam ecclesiam>

De mane vero sequenti, cum propter indulgentiam vellem intrare ecclesiam Virginis gloriosae de Portiuncula et tenerem manu quamdam feminam quae me ad intrandum in ecclesiam adiuvare volebat, cum posui pedem super limen ostii, tunc subito anima fuit abstracta in tantum quod in ipsa pressura corpus stetit nec movebatur, et dimisi mulierem illam quae me praecedebat iuvando.

Et vidi quamdam ecclesiam mirae magnitudinis et pulchritudinis subito divinitus ampliata, et in ista ecclesia nihil apparebat materiale sed totum omnino erat ineffabile. Et anima mirabatur quomodo ita subito in impositione pedis mei ipsa ecclesia ampliabatur, quia sciebam quod ecclesia illa sanctae Mariae de Portiuncula erat valde parva.

<Allocutiones divinae ad vitam fratris A. spectantes>

Item, quando dicebat missam frater A. in altari ab alia parte dictae ecclesiae, dictum fuit sibi: Benedictionem Patris et Filii et Spiritus Sancti iste filius tuus et meus, de quo multum laetaberis.

Et dixit: Tu habebis filios, et istam benedictionem habeant omnes, quia omnes filii mei sunt tui, et tui sunt mei.

Postquam redieram Fulgineum, quando communicavi in ultima missa, quam dixit praedictus frater, de eo fuit mihi dictum: De isto intimo filio tuo multum laetaberis; et ego confirmo benedictionem aeternalem quam dedi sibi. Et ego sum qui tollo peccata, et nullus potest auferre peccata nisi ego; et ego abstuli ab eo culpam et poenam. Cum ista verba nullo modo intelligerem, retuli ipsa dicto fratri postquam compleverat missam. Et ipse, quando audivit illud verbum “Ego abstuli ab eo culpam et poenam”, extraxit sibi caputium et inclinavit caput et lacrimatus est.

Item, dixit beatus Franciscus de praedicto fratre: Recommenda me fratri meo, fratri A.

INSTRUCTIO XXVII

<SEPTEM DEI DONA QUIBUS ANIMA TRANSFORMATUR IN CHRISTUM JESUM>

(Haec dulcissima Dei dona)

Haec dulcissima Dei dona quicumque obtinere poterit, sciat se perfecte esse consummatum et perfectum in dulcissimo Domino Jesu Christo et esse factum ipsum dulcissimum Jesum Christum per transformationem. Et quanto magis in his profecerit, tanto magis esse dulcissimi Jesu crescet in eo.

Primum est amor paupertatis quo anima expoliat se ab amore omnis creaturae ita quod nullius possessionem vult nisi JesuChristi Domini nostri, nec sperat in adiutorio alicuius creaturae de hac vita, et hoc ostendit per opus.

Secundum est quod desideret despici et vilipendi et opprobriari ab omni creatura, et quod velit quod omnis creatura credat ipsam esse dignam ita quod nullus compatiatur sibi, nec velit vivere in corde alicuius creaturae nisi solius Dei, nec ab aliquo aliquid reputari quocumque modo.

Tertium est quod desideret dolorari et poenari et impleri et superinfundi omnibus doloribus corporis et cordis dulcissimi Domini Jesu et dulcissimae Matris eius, et quod desideret quod omnis creatura faciat sibi istos dolores sine intermissione. Et si non potest ista tria velle, sciat quod multum est longe a Christi benedicti dulcissima similitudine quia ista tria associaverunt eum in omni loco et in omni tempore et in omni actu suo, similiter et suam Matrem, scilicet paupertas, dolor et despectus, et omnia in summo.

Quartum est quod sciat quaecumque persona se esse indignam tanto bono et nullo modo posse habere ista a se, et quanto plus de istis habuerit, tanto sibi videatur quod minus habeat; quia de re amata, qui nimis habet, perdet amorem. Unde nunquam sentiat se ad hoc pervenisse, immo sibi videatur quod semper incipiat de novo et adhuc nihil fecerit et non habuerit aliquid de istis.

Quintum est quod continue nitatur cogitare quomodo ista fuerunt in Domino Jesu Christo, et continue suspiciosa oratione clamet ad Dominum quod ista sua vestimenta et istos suos socios det et immittat in cor suum, nihil aliud petendo sibi; et in perfecta transformatione istorum sit sibi omne gaudium de hac vita. Et nitatur ascendere ad cogitandum quomodo cor dulcissimi Jesu istis plenum fuit et superplenum, in infinitum plus quam ipse ostenderit in corpore.

Sextum est quod fugiat tamquam summam pestilentiam omne illud quod impediatur illam ab istis praedictis, sive sit persona spiritualis sive carnalis; et omne illud, quod sibi in rebus huius vitae apparet dissimile vel contrarium istis, horreat et despiciat et fugiat sicut serpentem.

Septimum est quod super nullam creaturam ferat iudicium nec se impediatur de iudicando alios, sicut dicit Evangelium, immo reputet se viliorem omnibus, quantumcumque malis, et indignum omni gratia Dei.

Et, quia est adhuc infirmus et non potest Deo servire sine spe praemii, sciat quod ista merentur habere Deum in patria plene, immo quod anima fit per transformationem tota Deus; et ita verum est hoc quod etiam in hac vita multum dat Deus de ista transformatione illi animae quae sic est transformata in suos despectus, penurias et dolores. Non tamen debet anima in hac vita desiderare istas consolationes a Deo nisi forte propter suam infirmitatem refocillandam, sed solum appetere perfectam Christi crucifixionem dolorosam, pauperem et despectam.

INSTRUCTIO XXVIII

<DE TRANSFORMATIONE IN CHRISTUM ORATIONIS ET PAENITENTIAE EXERCITIO>

(Oratio est ubi invenitur Deus)

In nomine Domini nostri Jesu Christi passionati. Amen.

<Triplex schola orationis praebet, qua anima transformatur in Amatum, scilicet corporalis, mentalis et supernaturalis>

Oratio est ubi invenitur Deus. Et sunt tres scholae, id est tres partes orationis, extra quas non invenitur Deus. Est enim oratio corporalis, mentalis et supernaturalis.

Corporalis est quae fit cum sono verborum et exercitio corporali, ut genuflexionibus. Et hanc nunquam dimitto. Quia enim quandoque volebam me exercere in mentali, et aliquando decipiebar a pigritia et a somno et perdebam tempus, ideo me exerceo in corporali. Et haec corporalis mittit ad mentalem. Debet enim fieri cum attentione, ut, cum dicis “Pater noster”, consideres quid est quod dicis, non quod curras contendens complere certum numerum, sicut mulierculae quae aliqua opera faciunt ad pretium.

Mentalis est quando Dei meditatio ita occupat mentem, quod nihil aliud cogitat nisi

Deum. Et si aliqua alia cogitatio intrat mentem, non voco eam mentalem. Et ista oratio praecedit linguam, quia non potest loqui. Totaliter enim mens est plena Deo, ita quod circa nihil aliud potest occupari cogitando vel loquendo nisi circa Deum et in Deo. Et ex hac mentali venit ad supernaturalem. Supernaturalem voco illam quando anima ex ista Dei dignatione et repletionem in tantum elevatur, quod quasi supra suam naturam extenditur, et comprehendit de Deo plus quam per suam naturam videat posse comprehendere, et cognoscit quod comprehendere non potest, et illud quod cognoscit non potest explicare quia quasi totum quod videt et sentit est supra suam naturam.

In istis ergo tribus scholis cognoscit quis se et Deum; et ex quo cognoscit, amat; et ex quo amat, desiderat habere quod amat. Et hoc est signum veri amoris, quod, qui amat, non sui partem sed totum se transformat in amatum. Sed quia haec transformatio non est continua, non durat, capit anima studium inquirendi omnes modos quibus possit transformari in voluntatem Amati ut iterum redeat in illam visionem, et quaerit quae amavit ille quem amat. Et Deus Pater fecit nobis viam per Amatum, id est per Filium suum, qui fecit eum Filium paupertatis, doloris et despectus et oboedientiae verae.

<Cum orationis vita stricte coniungitur via paupertatis, doloris, despectus et verae oboedientiae Christi, quam anima sequi debet, ut in ipsum Christum transformetur>

<a. De triplici Christi paupertate>

Nam quia non est maior paupertas quam non cognoscere Deum, id est superbia per quam homo cecidit, invenit aliam paupertatem quam debemus servare. Et sunt tres paupertates quas habere debemus.

Una est rerum temporalium, quam Christus perfectissime habuit. Unde in ea ipsum perfecte imitari quis debet, si potest; et qui non potest totaliter, ut est aliquis comes vel persona habens familiam, saltem debet eam cordialiter amare et deponere affectus rerum terrenarum.

Alia paupertas est amicorum, quam Christus adeo habuit, quod propter nullum amicum vel consanguineum quem ex parte Matris haberet fuit sibi remissa una alapa. Sic debemus nos esse pauperes amicorum et omnium creaturarum quae impediunt nos ad imitandum Christum.

Tertia paupertas quae fuit in Christo est quia fuit pauper sui ipsius. Nam cum esset omnipotens voluit esse imbecillis, ut nos imitemur eum, non abscondendo potentiam quam non habemus, sed attente considerando et plorando defectum, vilitatem et miseriam nostram.

Igitur anima, quaerens facere voluntatem Dilecti quam in paupertate per exemplum monstravit, nititur transformari in istam paupertatem quam perfectius potest.

<b. De continuo dolore Christi>

Vult <anima> etiam transformari in dolores quos ipse sustinuit. Fecit enim eum Deus Pater Filium doloris, et semper fuit in dolore. Nam ab instanti conceptionis fuit in summa tristitia, quia divina sapientia tunc ostendit ei omnia quae debebat pati; et iste dolor tunc incoepit et duravit usque ad separationem animae a corpore. Et hoc manifestavit oratio, quam fecit cum dixit : Tristis est anima mea usque ad mortem; nam quia dixit mortem esse finem istius doloris, datur intelligi principium quod fuit

tempus conceptionis. Et quia istorum dolorum fuimus causa, debemus in istos dolores transformari, quod facimus secundum mensuram amoris. Unde debemus esse imitatores, propter istos dolores, omnium dolorum, ut semper simus in doloribus et eos appetamus et patienter toleremus, quaecumque contingant, sive iniuriarum quae dicantur vel fiant, sive temptationum ut, videlicet non consentientes, patienter toleremus temptationes quas Deus nobis permittit, sive etiam tribulationum quarumcumque, sive tristitiarum, sive cuiuscumque alterius rei. Et nos debemus desiderare quod non habemus, propter imitationem Amati qui fuit semper in dolore, dummodo non demus causam cum culpa.

<c. De despectu Christi>

Fuit etiam Filius despectus, quia ab omnibus despectus, exprobratus et derelictus fuit. In quo eum imitari debemus sidiligimus, quia amor facit simile appetere. Et qui vere considerat paupertatem suam et est verus pauper, est afflicto et per consequens despectus. Unde vera paupertas est radix omnium istorum.

<d. De vera oboedientia Christi>

Fuit etiam Filius oboedientiae, quae traxit eum de sinu Patris, et oboedivit ei usque ad mortem. In qua eum imitari debemus, ut simus oboedientes non solum praeceptis Dei et praelatis, si eos habemus, sed etiam nuntiis voluntatis eius, id est inspirationibus quas Deus in animam immittit. Et oboediamus eis velociter sine aliqua tarditate.

<Ut transformetur in eum, debet anima Christum imitari etiam in omnibus aliis virtutibus, ut in pace et mansuetudine>

Non solum autem in praedictis, sed etiam in aliis virtutibus debemus imitari Domimum nostrum Jesum Christum, ut in pace in verbis, in operibus et in conversatione simus pacifici, non tamen in defectibus nec in his quae sunt contra animam nostram, immo in eis expellendis simus quasi leones et etiam in benignitate et mansuetudine, non solum ad nostros sed etiam ad omnes secundum convenientiam ipsorum, dummodo cum dyscolis non habeatur nimia familiaritas nisi in quantum esset materia revocandi eos, tunc etiam eis est serviendum; habeatur etiam benignitas et mansuetudo, ut non respondeatur vel fiat malum pro malo sed patienter toleretur.

Et etiam fiant obsequia ei qui dixit vel fecit iniuriam, et hoc fiat placide non per contrarium ne notetur ille de iniuria; nam placido vultu et quieto animo debent fieri obsequia offendentibus, sicut quaedam persona quae libenter fuisset osculata pedes offendentium. Et ad istam virtutem habendam respiciatur ad Christum quomodo benigne sustinuit; hoc enim exemplum, cum respicitur, dat fortitudinem ut non retineatur indignatio. Debemus etiam eum imitari ut in opere et sermone teneamus rectitudinem sine aliqua simulatione vel duplicitate.

INSTRUCTIO XXIX

<DE COGNITIONE DEI ET SUI IPSIUS>

(Oportet quod homo cognoscat)

Iterum cum quaereretur ab ea quare oportet haberi paupertatem, dolorem et despectum, respondit: Oportet quod homo cognoscat Deum et seipsum.

Cognitio Dei praesupponit cognitionem sui hoc modo, ut videlicet homo consideret et videat quem offendit; postea consideret et videat quis est ipse qui offendit. Ex qua secunda consideratione et visione datur gratia super gratiam, visio super visionem, lumen super lumen.

Ex his incipit devenire ad cognitionem Dei. Et quanto amplius cognoscit, tanto amplius diligit; et quanto amplius diligit, tanto plus desiderat; et quanto plus desiderat, tanto fortius operatur. Et ista operatio est signum et mensura amoris; quia in hoc cognoscitur si amor est purus et verus et rectus, si homo diligit et operatur quod dilexit et operatus est ille quem diligit.

Sed Christus, quem diligit, habuit, dilexit et operatus est illa tria donec vixit; ergo qui eum diligit, debet eadem semper diligere, operari et habere sicut Christus ea habuit, ut habetur supra.

INSTRUCTIO XXX

<SUB TRIBUS ASPECTIBUS SS. EUCHARISTIA CONSIDERANDA EST>

(Tria sunt necessaria)

<“In sancto sacrificio” Altaris tria perpendenda sunt: Christi mysteria amoris ac doloris et quomodo anima in eadem intrare seu transformari debeat>

Tria sunt necessaria ut videamus in isto sancto sacrificio et bene consideremus; et ista tria sunt magnae veritatis. Non dubito de hoc sed certa sum quod quaecumque anima videret ista tria in veritate, non posset esse ita sicca de amore quod non esset de amore statim infusa, videndo quomodo ipsa anima fuit amata.

Et est de necessitate quod <anima> vadat intus in istum Deum hominem et respiciat in illam sanctam ordinationem, quam faciebat iste Deus homo in isto sancto sacrificio. Respiciat etiam in istum ineffabilem amorem, quomodo iste Deus homo cepit omnem modum quomodo posset in totum remanere nobiscum. Et ideo ordinavit istud sanctissimum sacrificium non solum propter memoriam suae mortis, quae est nostra salus, sed etiam hoc fecit ad hoc ut remaneret nobiscum totus et semper. Et quicumque vult intrare ad videndum istud profundum, oportet quod habeat bonos oculos.

Et modo incipio vobis dicere de illis tribus rebus quas oportet nos videre, hoc est de illis duobus respectibus, quos habebat iste Deus homo, et quomodo anima est intrata ad videndum illos duos respectus. Unus respectus est videre illum ineffabilem amorem, quem habebat ad nos: quomodo erat amore devisceratus totus in nobis, ideo totum dimisit se nobis et semper. Alius respectus est videre illum ineffabilem mortalem dolorem, quem habebat pro nobis: videre quomodo in recessu quando se debebat partire et debebat se partire per illam mortem ita dolorosissimam, et quomodo debebat transire per illos dolores ita ineffabiliter acutissimos et in quibus debebat esse derelictus.

Et videtur mihi quod ista veritas sit scrutanda illis qui volunt hoc sacrificium celebrare et recipere.

<Mysterium amoris Christi, qui sua sponte nobiscum manet, praebetur animae hoc in sacramento, ut transformetur in eum>

Et tunc non transeat hinc anima sed hic demoretur et stet, quia erat tantum benignissimus ille respectus, quem iste Deus homo faciebat super humanum genus, quod bene est notandus iste ineffabilis amor quando ipse ordinabat dimittere seipsum totum nobis in isto sanctissimo sacrificio. Et notate et videte quis est iste qui volebat remanere in isto sanctissimo sacrificio! Ipse est ille qui est, et ille qui est remansit in isto sanctissimo sacrificio totus. Et ideo nullus miretur quomodo potest esse in tot altaribus simul, et ultra mare et citra mare, et ita ibi sicut hic et ita hic sicut ibi. Nam ipse dicit: Ego Deus sum incomprehensibilis vobis; et: Ego Deus feci sine vobis, et operor sine vobis, et non est mihi impossibile aliquid facere; et ideo ad illud quod non intelligitis, stringatis humeros.

Quae esset anima tantum crudelissima quae videndo istum resgardum amerosissimum filialem, statim tota non esset transformata in amorem? Et quae anima posset videre illum respectum doloratum et amaricatum et quomodo debebat derelinqui in dolore omnium dolorum et visibilium et invisibilium, quae statim non transformaretur tota in dolore? Et quae anima erit ita extra omnem amorem, quae videndo quomodo fuit amata, videndo quomodo ipse ordinabat in totum remanere nobiscum in isto sanctissimo sacrificio, quae non transformaret seipsam totam in amorem?

Certe tantum erat amabilissimus ille respectus quem habebat nobis, quod quantumcumque praesentia mortis esset sibi praesens et habebat dolores ita ineffabiliter acutissimos, mortales et omnino incomprehensibiles, quia ibi erant congregati omnes dolores animae et corporis, sed quasi oblitus sui non dimisit propter ista, tantus fuit amor quem habuit nobis. Habet istam ordinationem amor divinus, habet semper ad restringendum ad se rem quam diligit; et trahit extra se et extra omnes res creatas, et omnino est in Increato. Et tunc efficitur anima capax ad intelligendum quomodo tota Trinitas erat ad ordinandum istud sanctissimum sacrificium.

<Mysterium autem doloris “Amati derelicti” proponitur animae, ut pariter in eundem transformetur>

Et tunc volvit se anima ad videndum istum respectum istius Dei et hominis, hoc est de praesentia suae mortis et omnium dolorum suorum. Et sicut fuit transformata anima in amorem per resgardum amoris, ita transformatur in dolorem per resgardum dolorosissimum Amati derelicti. Respiciendo enim in respectu illo amaricato anima, hoc facit quod transformat eam totam in dolorem, et nullum remedium consolationis in eam ingreditur sed efficitur ipse dolor.

<Anima bene init seu transformatur in haec duo mysteria, cum ambo simul et continue respiciat ac possideat>

Et omnes illi qui volunt esse filii fidelissimi istius sancti sacrificii, continent ad videndum istam veritatem. Et sicut ipse respiciendo et habendo illum respectum amaricatum totus solum erat in nobis, et etiam respiciendo nos illo resgardo amerosissimo filiali totus solum erat in nobis, ita nos toti soli simus ei. Nisi enim esset respectus illius resgardi amaricati, dolorati, tanta esset laetitia et gaudium illius respectus amorosi quod anima deficeret; et nisi esset respectus illius resgardi amerosissimi filialis, tantus esset dolor illius resgardi amaricati, dolorati, quod etiam anima deficeret; sed unus temperat alium.

INSTRUCTIO XXXI

<DE CONSOLATIONIBUS EARUMQUE UTILITATE>

(Deus habens evisceratum amorem animae)

Alias sic incoepit: Deus habens evisceratum amorem animae, dat ei blanditias, id est consolationes, sentimenta et huiusmodi, quae ego voco blanditias, quas anima non deberet appetere. Non tamen sunt spernendae, quia faciunt animam currere et sunt cibus eius. Et ex his anima ascendit ad amandum Deum et nititur transformari in Amatum.

INSTRUCTIO XXXII

<RESPONSIO TRIBUS POSTULATIONIBUS RELATE AD EUCHARISTIAM ET DE DIGNA PRAEPARATIONE AD EAM>

(Si anima vellet)

<Primae postulationi Angela respondet: In mysterio Eucharistiae adest res maior, id est bonitas Dei increati, et minor, id est caritas Dei humanati coniunctae in persona Christi>

Una fiata ademandata fo de lo Corpu e de lo Sangue de lu nostru Signore Ihesu Christo, lu quale sacrifica lu preti sopra l'altare, e quella si respuse e dixit:

Si anima vellet et desideraret intelligere et loqui de isto ordinatore Deo summo increato et incarnato, et de illo et de rebus suis vellet aliqua cognoscere, et maxime de isto altissimo et sanctissimo Sacramento, quod ipse ordinator Deus per os sacerdotis sui ministri cotidie quando celebrat ordinavit, deberet anima transformari in Deo tota per amorem, et, transformata in ipsum, ponere se iuxta praesentiam suam, stando et intrando intus in ipsum Deum et non exterius extra Deum. Hoc autem voco "praesentiam Dei" et "intus in Deum", considerare et videre istum Ordinatorem summum bonum increatum.

Et primo consideret quis, quid est in se; et, elevata deinde supra se in ipsum Deum, poterit tunc videre illum qui est invisibilis, et cognoscere illum qui est incognoscibilis, et sentire illum qui est insensibilis, et comprehendere illum qui est incomprehensibilis; quia videt, cognoscit, sentit et comprehendit Deum lucem invisibilem, bonum incomprehensibile et bonum incognitum. Et comprehendendo, videndo, cognoscendo et sentiendo ipsum Deum, anima secundum suam capacitatem dilatatur se per amorem in ipsum et implet se ipso Deo, et delectatur se in Deo et Deus in ipsa et cum ipsa. Et recipit et possidet tunc anima maiorem dulcedinem de illo quod non comprehendit quam de illo quod comprehendit, de illo quod non videt quam de illo quod videt, de illo quod non sentit quam de illo quod sentit, de illo quod non cognoscit quam de illo quod cognoscit. Et videtur mihi quod sit ratio quia anima quantumcumque sit perfecta et sit etiam perfectissima sicut anima beatae Virginis, nihil est illud quod comprehendit de isto ordinatore Deo increato et infinito; videt, sentit et cognoscit per respectum ad illud quod videt, sentit et cognoscit, quod non potest comprehendere nec videre nec sentire nec cognoscere. Debet ergo anima pensare, videre, sentire et cognoscere de isto et in isto mysterio et altissimo Sacramento Ordinatorem increatum, quis est ille.

Debet etiam adhuc videre et considerare de ipso et in ipso illud quod facit ordinem, id est illud quod fecit et facit esse ordinatorem istius mysterii et nescio quod nomen

imponam sibi nisi “amorem sine mensura” qui est ipse ordinator Deus bonus, amor infinitus.

Adhuc etiam debet videre et considerare ipsa anima istum ordinem, ad quid scilicet ordinatur, ad quid ista summa et infinita bonitas istud mysterium vult terminare, quia vult unire nos sibi et incorporare se nobis et nos sibi. Et vult ut nos portemus ipsum ut ipse portet nos, confortando et fortificando nos.

Et ista est prima causa quam videt anima et videre debet, intrando in Deum, de isto mysterio et altissimo Sacramento.

Postea anima se inclinatur ab ista re maiori, et cogitat et videt in isto mysterio unam aliam rem minorem quam invenit coniunctam cum illa prima re maiori, ita quod videt, sentit et cognoscit minus in maiori et maius in minori, quia invenit Deum increatum Deum humanatum, hoc est deitatem et humanitatem in Christo unitas et coniunctas in una persona. Et aliquando anima in hac vita praesenti recipit maius delectamentum in isto minori quam in illo maiori, quia anima est magis capax et magis conformis isti minori quod videt in isto Deo incarnato quam sit illius quod videt in Christo Deo increato, quia ipsa anima est creatura quae est vita carnis suae et omnium membrorum corporis sui. Unde invenit Deum humanatum Deum increatum, Christum Creatorem et creaturam, et invenit in Christo animam cum carne et sanguine et cum omnibus membris sui sanctissimi corporis. Et ideo, inveniendo, videndo et cognoscendo intellectus humanus in isto mysterio Christum hominem ordinatorem et Christum Deum ordinatorem istius mysterii, delectat se et dilata se in ipso, quia videt Deum humanatum Deum increatum, sicut dixi, conformem factum et quasi similem sibi, quia videt anima humana animam Christi et oculum et carnem et corpus Christi. Et considerando, videndo et cognoscendo et intelligendo istud minus non recedit ab illo maiori, quia invenit et videt in ista abyssu humana et divina non solum infinitam bonitatem divinam, sed etiam summam et inauditam caritatem humanam ex parte ipsius Christi Dei hominis facti, ordinatoris humanati istius mysterii.

Invenit, dico, summam divinam bonitatem et summam humanam caritatem. Et istam bonitatem infinitam et caritatem summam potest invenire et videre anima, et invenit et videt quando considerat et pensat in isto et de isto mysterio illud quod est prope, longum et durum. Hoc est, respiciendo et pensando videt anima quando fuit ordinatum tale mysterium, et invenit prope iuxta longum, et longum non tantum iuxta sed coniunctum cum duro; quia invenit et videt quod fuit ordinatum in Cena Domini in sero quasi iuxta noctem longum dico de sua longa passione et invenit suam passionem longam coniunctam cum sua morte dura. Istud dico quod fuit prope, longum et durum, quod anima potest et debet considerare et videre in hora istius mysterii. In veritate magna caritas et summa bonitas fuit ista, quae fuit in Christo Deo et homine ut tali tempore, tali hora ordinaret et faceret ita novum, ita mirabile, ita insolitum, ita singulare, ita perfectum, ita amorosum et pretiosum mysterium ad consolationem maiorem omnis fidelis animae et ad confortamentum et adiutorium, in hac praesenti vita, totius militantis Ecclesiae.

<Secundae postulationi Angela respondet: Sacrificium eucharisticum est “antiquum quantum ad suam figuram, novum quantum ad veritatem ipsius sacramenti”>

Item quia dixit “novum”, quaesitum fuit ab ea si fuit aliqua novitas in Deo ordinatore istius mysterii.

Et tunc respondit dicens quod in Deo non cadit aliqua novitas, quia Deus non variatur nec mutatur, sed novitas operis istius Dei potest esse et est ex parte creaturae quae recipit novitatem, in qua ipse Deus facit novum effectum, novam et inusitatam operationem. Ita quod istud mysterium fuit et est novum, quamvis antiquitus fuisset figuratum in Sacra Scriptura, et ideo potest dici novum et antiquum Sacramentum, antiquum quantum ad suamfiguram, novum quantum ad veritatem ipsius Sacramenti, in quo creatura semper recipit maximam novitatem.

Quia bene scimus et per fidem videmus certissime sine aliqua dubitatione quod ille panis et illud vinum benedictum, per divinam et infinitam potentiam ad illa sanctissima verba ordinata quae dixit Christus ordinator Deus humanatus et quae debet dicere et dicit sacerdos, substantialiter fit Christus, ita quod illa substantia panis et vini transsubstantiatur et fit Christus Deus et homo in ipso mysterio consecrato, remanendo colore et sapore et forma et virtute et modo et tota qualitate ipsius panis et vini, non in Christo, sed per divinam potentiam, supra eorum propriam naturam, in se ipsis, hoc est colore in seipso, et sapore in seipso, et forma in seipsa, et qualitate in seipsa.

Unde grandis est ista novitas in veritate, quam facit divina sapientia sua summa bonitate et immensa caritate in sua creatura, praeter multas alias singulares et speciales novitates, quas ipsum sacratissimum Corpus et Sanguis Domini nostri Jesu Christi facit in amicis et electis suis.

<Tertiae postulationi Angela respondet: Angeli et sancti in caelo gaudent cum Ecclesia in celebratione Eucharistiae>

Item cum quaereretur ab ea si angeli vel alii sancti beati in isto benedictissimo mysterio habent et recipiunt aliquod novum gaudium vel novam dulcedinem, respondit quod angeli et alii sancti habent, vident et sentiunt illud et gustant illud et stant iuxta illud, et stant intus in illo Deo bono infinito qui facit omnes illos esse beatos, quia habent semper in praesentia Deum increatum Deum humanatum.

Sed si in isto novo mysterio recipiunt novam dulcedinem vel gaudium aut faciunt novum tripudium, credo quod possit hoc esse propter convenientiam quam habent et communicant cum Capite et cum membris, hoc est cum Christo Capite Deo humanato et cum membris suis, iustis et fidelibus. Quia vident, sentiunt et cognoscunt quod Christus in isto altissimo mysterio se delectat, hoc est ostendit et manifestat quod habet singulare placimentum pro bono et in bono suorum devotorum et fidelium amicorum, et ideo omnes sancti beati delectant se in isto mysterio singulariter cum Christo, et faciunt novum tripudium et novum honorem ad Christum suo modo in tali sua nova operatione. Quia illud quod placet capiti potest et debet placere membris, et illud quod placet patri debet placere filiis, et illud quod placet bono domino potest et debet placere toti suae familiae. Unde gaudent omnes sancti beati suo modo de omni eo quod placet eorum Capiti, Patri et Domino, Deo increato Deo humanato. Gaudent iterum et possunt gaudere in isto mysterio omnes sancti beati qui regnant in caelesti patria, pro bono et pro utilitate quam de isto Sacramento recipiunt sanctae animae in hac militanti Ecclesia. Unde istud altissimum beneficium, donatum homini in isto mysterio, est causa et materia et via, non tantum animabus devotis et sanctis qui militant in hac praesenti vita, gaudii et dulcedinis, sed est causa gaudii et dulcedinis et laetitiae omnibus sanctis qui regnant cum Deo in gloria.

<Sermonem de Eucharistia concludit Angela valde exhortans omnes ad recipiendum

maxima cum dispositione hoc sic bonum Sacramentum>

Et ideo quilibet deberet multum cogitare quando vadit ad recipiendum istud beneficium in isto altissimo mysterio, et deberet considerare ad quem vadit, et qualis vadit, et quomodo vadit, et quare vadit.

Quia vadit ad quoddam bonum quod est omne bonum, et causa omnis boni, et dator et factor et possessor omnis boni; unde ipsum est solum bonum et sine ipso bono non est aliquod bonum. Quod bonum sufficit, implet et satiat omnes sanctos et spiritus beatos et omnes animas iustas per gratiam, et omnes animas et corpora illorum beatorum qui regnant in gloria.

Vadit etiam ad recipiendum illud bonum Deum humanatum, quod satiat et superat et redundat et iocundat in omnibus creaturis et supra omnes creaturas et extra omnes creaturas sine modo et sine mensura. Quod bonum creatura non potest scire nec habere nisi quantum ipsum bonum vult, et tantum ipsum bonum vult quantum creatura secundum suum esse potest habere de ipso quod est esse et facit omne esse et est super omne esse.

Vadit ad illud bonum, praeter quod et extra quod non est aliud bonum. O bonum inconsideratum, incognitum, non amatum, sed inventum ab illis qui volunt te totum et te totum habere non possunt! Si igitur homo respicit et considerat sollicite primo morsellum quod comedit corpore, quomodo anima non respicit et recogitat antequam recipiat illud bonum aeternum et infinitum, creatum et increatum, quod est cibus sacramentalis, qui cibus est pastum, arca et fons ipsius animae et corporis? Vere ipsum est bonum quod in se continet omne bonum. Debet igitur homo ad tantum et tale bonum et ad talem mensam ire cum magna reverentia, cum multa munditia, cum multo timore et cum magno amore. Et debet anima accedere tota lota et adornata, quia vadit ad illum et ad illud quod est omne bonum totius gloriae, vadit ad illum et ad illud quod est beatitudo perfecta et vita aeterna et pulchritudo et altitudo et dulcedo et totus amor et dulcedo amoris.

Sed quare debet ire? Dico vobis, sicut videtur mihi, quia debet ire ad recipiendum ut recipiatur, debet ire mundus ut mundificetur, debet ire vivus ut vivificetur, debet ire iustus ut iustificetur, debet ire unitus et coniunctus ut incorporetur per ipsum et cum ipso et in ipso Deo increato Deo humanato, qui, in isto sacratissimo et altissimo mysterio, datur per manus sacerdotis. Deo gratias semper. Amen.

INSTRUCTIO XXXIII

<DE CREBRITATE RECIPIENDA EUCHARISTIAE>

(Interrogata aliquando)

Interrogata aliquando a duobus fratribus Minoribus fide digne de verbo beati Augustini "Cotidie Eucharistiam sumere" etc., respondit sic dicens.

Beatus Augustinus, inquit ipsa, erat sanctus et sapiens. Videns ergo mixtos bonos cum malis, ut non daret audaciam malis, non laudavit; ut non impediret bonos, non vituperavit. Mali enim sumunt audaciam a laude aliena; boni habent securitatem de bona conscientia, dum tamen non sit vituperatum a sancto.

INSTRUCTIO XXXIV

<DE VIIS AMORIS QUAE DUCUNT AD DEUM>

(Iste Deus noster)

<Amor perfectus est tota donatio sui ipsius Deo summo bono, qui revera se totum nobis tradit>

Iste Deus noster increatus Deus incarnatus, summum bonum et perfectum, est amor totus, et ideo totus diligit et totus vult diligi; unde vellet filios suos totos transformatos in se per amorem.

Et voco filios suos speciales dilectos illos qui vivunt in gratia et caritate in ipso Deo bono perfecto cum perfectione amoris. Omnes enim sumus filii sui per creationem, sed filii sui speciales electi sunt illi in quibus ipse Deus, summum bonum, singulariter se delectat per suam propriam similitudinem, quam invenit in ipsis. Quam similitudinem in anima cuiuscumque filii Dei ponit et facit et format solum gratia divina et perfectus amor divinus.

Ita quod Deus, nobilis per naturam, vellet cor filii sui totum et non partem, sine medio et sine societate sibi contraria; sed est ita curialis iste Deus noster versus animam quod, si anima dat sibi totum cor, totum accipit, et si partem dat, partem accipit, licet amor perfectus naturaliter velit totum et non partem. Scimus enim quod sponsus diligens sponsam in ea non potest sustinere, in suo secreto amore quod habeat societatem. Sed si filius Dei cognosceret et gustaret istum amorem divinum, Deum increatum Deum incarnatum Deum passionatum qui est summum bonum, daret se totum ei et auferret se sibimetipsi non solum ab aliis creaturis et totus diligeret istum Deum amorosum, quod transformaret se totum in ipsum Deum hominem summum amatum.

Et ideo si anima vult venire ad istam perfectionem perfecti amoris, qui dat se totum, et servit Deo non per intuitum praemii quod ab ipso Deo expectet recipere in hoc mundo nec etiam in futuro, sed dat se Deo et servit Deo pro ipso Deo, qui est totus bonus et totum bonum, dignus diligi solum propter seipsum, debet ipsa anima intrare viam rectam et ambulare per ipsam viam rectam pedibus amoris puri, recti, ferventis et ordinati.

<Primus gradus perfecti amoris est “cognoscere Deum in veritate”>

Et primus gradus sive passus, quem debet facere anima quae intrat istam viam, quae etiam desiderat accedere ad Deum, est quod cognoscat Deum in veritate.

Et voco “cognoscere Deum in veritate” non solum exterius quasi per colorem scripturae aut verborum aut signorum aut figurarum seu similitudinis alicuius creaturae, qui modus cognitionis secundum modum loquendi est quoddam cognoscimentum simplex de Deo, sed “cognoscere eum in veritate” in se intelligendo suum valorem, pulchritudinem, dulcedinem, altitudinem, virtutem et bonitatem et ipsum summum bonum in ipso summo bono. Quia aliter persona sapiens cognoscit rem in veritate, et aliter persona simplex ipsam rem cognoscit in apparentia. Et de hoc posset homo dare tale exemplum sive similitudinem: Si essent positi in via duo floreni, unus de auro et alius de plumbo, quaedam persona simplex acciperet forte illum de auro pro pulchritudine sive splendore sed non cognosceret virtutem auri; sed persona sapiens, cognoscendo in veritate aurum et plumbum, acciperet aurum cum magno fervore et de plumbo parum curaret. Ita anima cognoscendo Deum in veritate,

intendit et cognoscit eum bonum, et non tantum bonum sed summum et perfectum bonum.

<Primo praefato gradu expleto, sequuntur alii, quorum maximus est amor transformans>

Et inveniendo eum bonum, diligit eum pro sua bonitate; et diligendo eum, desiderat habere; et desiderando eum, dat quidquid habet et habere potest et etiam seipsam, ut possit eum habere; et tunc habendo eum, sentit et gustat suam dulcedinem; et habendo, sentiendo et gustando ipsum Deum, summam et infinitam dulcedinem, fruitur cum maxima delectatione.

Et tunc inamorata anima istius dulcissimi Dilecti, desiderat eum tenere; et desiderando eum tenere, amplexatur; et amplexando, stringit et coniungit se cum Deo et Deum ad se cum summa dulcedine amoris. Et tunc virtus amoris transformat amantem in amatum et amatum in amantem; hoc est anima infocata in amore divino transformat se per virtutem amoris in Deum dilectum suum, qui diligitur ab ipsa anima cum tanta dulcedine. Sicut ferrum inflammatum accipit in se formam ignis accipit calorem, colorem, virtutem et valorem ipsius ignis, et quasi fit ignis, e se totum et non partem, et accipit se sibi, remanendo substantialiter in se, infocatum ita anima unita ad Deum et cum Deo per ignem perfectum amoris divini, quasi totam dat se et mittit se in Deum; et in Deum transformata, non mutata substantia propria, transformat se totam in sua vita in Deo amore, et per amorem quasi tota fit divina.

Oportet igitur quod cognitio praecedat, et postea sequatur amor qui transformat amantem in amatum; hoc est transformat animam, quae cognoscit in veritate et amat cum fervore, in bonum cognitum amatum cum fervore.

<Praedicta cognitio Dei et transformatio amoris sunt opus gratiae citiusque traduntur in oratione, praecipue autem legendo “Librum vitae”>

Et istam cognitionem non potest anima per se habere vel per aliquam rem creatam, nisi solummodo per lumen divinum et per speciale donum gratiae divinae. Quod lumen divinum et quam gratiam divinam credo quod anima non possit invenire citius vel facilius ab ipso Deo summo bono et summo amore, quam per devotam et puram et humilem et continuam et violentam orationem.

Et voco ego orationem non solum oris sed mentis et cordis et omnium potentiarum animae et sensuum corporis. Quam orationem facit anima quae vult et desiderat istud lumen divinum invenire, studendo, cogitando et legendo continue in libro et superlibro vitae; qui liber vitae est tota vita Christi quamdiu vixit in hac vita mortali.

Unde Deus Pater altissimus ostendit et docet animae formam et modum et viam qualiter possit habere cognitionem istius Dei et qualiter possit venire ad eum per amorem; et istam viam et istud magisterium ipse Deus Pater altissimus ostendit et docet in amantissimo Filio suo.

<Regula amoris perfecti est “societas” Domini, i.e. cum eo paenitentiam agere>

Item dico plus et possum dicere cum firma veritate quod ipse Filius Dei Patris altissimi per dispensativam caritatem divinam et per amorem immensum, quem ipse Deus habet creaturae rationali, hoc est animae quae est capax sui, ipsemet fecit se viam et facit adhuc in mundo isto; viam dico veracissimam et rectam et brevem, qua

quaelibet anima, quae vult, potest ambulare ad Deum et in Deo cum brevi poena, et determinata et quasi parva paenitentia.

Et quantum sit brevis et parva paenitentia, per respectum ad humanam culpam et ad nostram poenam meritoriam et per respectum ad praemium quod speramus et ad promissam gloriam, quaelibet anima quae haberet fidem posset cognoscere et videre; quia culpa nostra fuit et est infinita sicut est infinita divina maiestas quae offenditur; poena autem debet correspondere culpae. Sed divina maiestas, volendo ad suam misericordiam revocare animam, terminat istam poenam infinitam et dicit: Fac paenitentiam, ut possis venire ad me, quantam ego Filius Dei feci in mundo isto ut salvarem te; et parco tibi culpam et remitto offensam et solvo te a poena. In veritate magnum pactum est istud, quod facit animae divina bonitas: Non facias plus pro me nisi quantum feci pro te; et tu non pro culpa mea sed ego pro culpa tua; ego sine spe recipiendi a te aliqua beneficia, et tu cum spe recipiendi a me infinitum praemium. Igitur si vis scire paenitentiam parvam, determinatam et brevem, quam vult Deus de te, o anima, dico tibi: Tantam vult, quantam convenienter potes facere; et tantum vult quod facias istam tuam convenientem paenitentiam, quantum vivis in ista vita mortali et non plus. Si una hora vivis, una hora fac paenitentiam, et si plus vivis, plus fac paenitentiam; quia tantum vult Deus quod facias paenitentiam, quantum vivis et non plus, quantum est ex parte suae iustae et ordinatae voluntatis.

Sed exemplum, modum et formam quomodo anima debet facere istam paenitentiam ostendit et docet veraciter et perfecte vita Christi, et paenitentia quam fecit Christus, et societas specialis a qua Christus fuit associatus in ista vita praesenti, ita quod ab hora qua anima Christi fuit creata et infusa in suo sanctissimo corpore in ventre suae sanctissimae Matris usque ad illam horam ultimam, qua illa sanctissima anima recessit ab illo sanctissimo corpore per acerbissimam mortem crucis, nunquam stetit sine tali societate; et ista societas non defecit sibi in isto mundo, quod non fecerunt apostoli nec aliquis discipulorum nec Ioannes Evangelista nec etiam Mater sua sanctissima Virgo Maria.

<Tres sunt “societates” Christi ad perfectionem amoris Dei ducentes, scilicet paupertas, despectus et dolor>

Qualis igitur societas, ita fidelis, continua et amabilis sibi, fuit ista? Videtur mihi quod fuit illa, quam Deus Pater altissimus voluit secundum suam dispensationem ut Filius suus haberet in isto mundo, hoc est perfectissima, continua et summa paupertas, perfectissimus, continuus et summus despectus, perfectissimus, continuus et summus dolor. Ista fuit societas, a qua fuit associatus Christus continue in sua continua paenitentia; quae paenitentia duravit tantum quantum fuit vita sua in hoc mundo, per quam ipse secundum humanitatem ivit ad caelum. Et per ipsam potest et debet ambulare anima ad Deum et in Deo; et sine ipsa non est alia via, quia oportet quod viam quam tenuit Caput teneant membra, et quod ab illa societate a qua fuit associatum Caput sint associata eius membra.

<a. Prima “societas”: paupertas voluntaria>

Societas igitur Capitis nostri, sicut dictum est, fuit voluntaria, continua, summa et perfectissima paupertas. Et ista fuit tribus modis: una grandis, alia maior coniuncta cum prima, sed tertia fuit summa et perfectissima cum prima et secunda. Et quamvis in Christo haberet tres gradus ista paupertas, tamen in Christo fuit una summe et perfectissime.

Et primus gradus perfectissimae paupertatis Christi, qui est via et magister animae, fuit quia voluit vivere et esse pauper omnium rerum temporalium istius mundi, ita quod non reservavit sibi nec domum nec terram nec vineam neque possessionem nec denarios nec pecuniam nec massariam nec scutellam nec aliquam aliam rem propriam. Et non recepit de rebus huius mundi nec voluit recipere nisi extremam indigentiam vitae suae corporalis, cum penuria et fame et siti, cum frigore et calore, et cum multo labore et austeritate et durtia; et non de rebus delicatis et exquisitis sed de rebus grossis et communibus, quae, secundum stacionem et secundum tempus illud et secundum locum illum, inveniebantur in illa provincia in qua Christus pauperrime vivebat et stabat.

Secunda paupertas maior quam prima fuit quia voluit vivere et esse pauper consanguineorum et amicorum et omnis amicitiae temporalis, ita quod nec amicum aliquem habuit nec consanguineum, propter quem fuerit sibi remissus non tantum unus ictus clavelli sed nec una percussio virgae vel flagelli vel una rampogna vel unicum verbum iniuriosum. Et ipse ita expoliavit se amore consanguineorum et parentum, quod nec pro Matre neque pro fratre nec pro amico aliquo dimisit nec voluit dimittere aliquid quod placeret vel placere posset voluntati Patris sui altissimi.

Sed tertia et summa paupertas fuit quia expoliavit semetipsum seipso, hoc est fecit se pauperem propriae potentiae, propriae sapientiae, propriae gloriae. Quia voluit apparere et vivere in mundo isto Deus increatus Deus humanatus Deus incarnatus Deus passionatus sicut homo pauperculus sine potentia, simplex et infirmus, sine gloria et sine humana sapientia.

O paupertas expulsa, o paupertas exbannita ad tubas hodie quasi ab omni statu in mundo isto! Et quae creatura inveniri posset hodie quae posset gloriari quod sit associata a tali et ita perfecta societate! Beata est illa creatura quae in sua paenitentia de tali societate potest gloriari; quia ideo Christus in seipso voluit eam recipere ut doceret nos. Sed quomodo facimus, bene videmus et scimus; quia non tantum de rebus temporalibus capimus nostram necessitatem cum sinistra sufficientia, sed non sumus bene contenti quod non plus velimus de iusto sine superfluitate.

Heu! Heu! quia Filius Dei scimus quomodo fuit de vestibis adornatus! Et scimus in quo lecto et supra quem lectum fuit in cruce collocatus! Et scimus quo potu fuit satiatus! Et scimus quomodo fuit conservatus ab amicis suis et consanguineis, defensatus et adiutus, et quomodo fuit associatus! Et scimus quomodo voluit se defendere, et elevare se in altum, et facere se teneri, et se gloriari de sua potentia et de sua sapientia! Et potuisset facere cum tota veritate, quia in se et a se habebat propriam potentiam per essentiam, per gratiam et per naturam. Sed nos illud, quod non habemus nec a nobis habere possumus, mentiendo volumus rapere, et illud quod non habemus ostendimus aliis; et ideo nostra paenitentia non vadit per viam rectam, quia dimittit et recedit a propria societate Christi, hoc est a sancta paupertate.

<b. Secunda “societas”: despectus voluntarius>

Secunda societas, a qua continue in mundo isto fuit associata vita Christi, fuit voluntarius et perfectus despectus. Quia voluit vivere in isto mundo et vixit sicut servus deiectus et venditus et non redemptus; et non tantum sicut servus, sed sicut malus et iniquus servus, opprobriatus, derisus, ligatus, verberatus, fustigatus et flagellatus, et tandem sine ratione condemnatus et mortuus. Et si aliquando aliquis voluisset sibi inferre honorem temporaliter, semper contradixit aut verbis aut factis.

Unde honorem mundi semper fugit, et verecundiam et contemptum semper in mundo isto procuravit, non dando per suum defectum nec causam nec rationabilem occasionem ex parte sua.

Qualis itaque persona invenitur hodie quae diligat talem societatem ut fugiat honorem et diligat verecundiam, quae velit esse advilata et deiectata de bono quod facit et nolit esse laudata et commendata? Mea fide, nulla fidelis invenitur, nisi illa quaeconiuncta est cum Capite Christo per perfectum amorem; quia anima plena amore Christi, videndo quod ipsum suum Caput diligit et vult talem societatem, diligit et vult ipsa similiter. Sed invenitur aliqua, quae dicit: Ego amo Christum et volo diligere, et non curo si mundus non facit mihi honorem; sed non tantum quod ego velim et desiderem verecundiam habere et esse deiectata, sed ego vivo in continuo praelio et continuo timore quod homo non faciat mihi et quod Deus non permittat.

Et istud est manifestum signum parvae fidei, parvae iustitiae et parvi amoris, et magnae tepiditatis ex parte istius animae. Quia vel commisit illud propter quod est digna sustinere confusionem et poenam et verecundiam, de quo pauci possunt iuste se excusare, vel non commisit. Si commisit per opera sua manifesta vel abscondita, debet se praeparare ad portandum cum patientia et cum gaudio et cum placimento animae et corporis, et hoc duabus rationibus: primo namque in illa poena et in illa verecundia anima purgatur a poena, quam debet recipere pro sua iniquitate propria; secundo, quia illa poena et verecundia, quam portat et sustinet cum patientia, satisfacit Deo et proximo secundum voluntatem divinae iustitiae. Sed, si non commisit nec per voluntatem nec per opera, debet portare, si Deus vult sibi permittere, in centuplo cum maiori patientia et maiori laetitia, quia illa poena et illa confusio et illa verecundia tota ponitur in augmentum gratiae, et crescendo meritum gratiae crescit praemium et donum in gloria; sed nos timemus quod Deus bonus non faciat nos crescere, et non timemus quod culpa nostra non faciat nos decrescere et minuere. In veritate isto modo crescunt animae sanctae et amici Dei.

Et ideo Christus dilexit verecundiam et fugit honorem et voluit esse voluntarie secundum divinam dispensationem, sine omni culpa quam commiserit, deiectus et despretatus in vita sua, ut doceret amicos suos quomodo possent crescere per amorem in merito et gratia.

Ista igitur est societas secunda continua vitae Christi, quam tantum dilexit quod ab ipsa societate noluit unquam recedere. Si enim volumus videre principium, medium et finem ultimum et totum tempus vitae Christi Filii Dei, totum fuit humilitas et vivere sine honore in mundo isto, et vivere summe despretatus.

<c. Tertia “societas”: summus dolor>

Tertia societas sua magis experimentalis et continua fuit summus dolor, a quo statim anima Christi fuit associata; quia illa anima sancta, unita cum suo corpore divinitati, fuit impleta summa sapientia. Et ipse Christus fuit statim factus comprehensor et viator, et in ventre Matris suae incoepit sentire summum dolorem illa anima sancta sicut satisfactrix perfecta ad Deum, non pro sua sed pro humana culpa sentiendo, videndo, cognoscendo et intelligendo universaliter et singulariter omnes poenas et quamlibet poenam per se, quas et quam ipsa anima cum sua carne cum experimentali dolore debebat sustinere.

Et omnes cultellos linguarum, hoc est verba accultellata cuiuslibet linguae singularis,

videbat et cognoscebat illa anima sancta a quibus debebat accultellari in futurum. Et sciebat quando et quantum et quomodo et a quibus et ubi debebat impugnari. Et cognoscebat et videbat quomodo ipse Christus, in quantum homo, debebat esse traditus, venditus, captus, derelictus, negatus, ligatus, derisus, verberatus, flagellatus, iudicatus et condemnatus sicut latro, ad crucem ductus, expoliatus, crucifixus, mortuus, blasphematus, lancea percussus et apertus in suo sancto latere. Et sciebat omnes percussiones martellorum et omnia foramina clavorum. Et omnes dolores et omnia suspiria et omnes planctus et omnia lamenta dolorosa Matris semper in se et ante se illa anima sancta habebat et cognoscebat. Ita quod tota vita Christi fuit associata a continuo dolore.

Quomodo igitur vadit ad illum, qui est via doloris, illa misera anima quae in mundo isto semper vult habere consolationem? In veritate, anima quae esset perfecte inamorata de suo dilecto, nollet alium lectum nec alium statum in mundo isto nisi illum quem ipse habuit. Iam enim Maria sua Mater credo quod videndo Christum Filium suum amosum in cruce plangentem et morientem, tunc non petivit ab ipso dulcedinem sed dolorem sentire. Ita in anima signum est pauci amoris, si vult in mundo isto a suo dilecto Christo sentire aliud quam dolorem. Et potest anima bene scire quod bono domino magis placet servitium pauperis qui servit fideliter per amorem sine expensis et beneficio, quam servitium divitis qui quolibet die recipit expensas magnas et servit sub spe recipiendi speciale beneficium. Ita anima pinguis ex magna dulcedine, quam gustat et assaiat de Deo si currit ad eum per amorem, non est tanti meriti, quanti est illa quae currit ad Deum et servit Deo per similem et tantum amorem sine dulcedine et cum continuo dolore.

<d. Conclusio sermonis>

Istud itaque videtur mihi quod doceat me lumen divinum, quod venit de vita Christi, qui est via eundi per amorem in Deum et ad Deum. Per istam viam ivit Caput nostrum Christus, per istam viam debet ire manus, brachium, spalla, pes et crus et omnia membra. Et inveniet anima per paupertatem temporalem, divitias aeternas; per despectum et verecundiam, summum honorem et magnitudinem gloriae; per modicam paenitentiam factam cum poena et cum dolore, possidebit summum bonum Deum aeternum cum infinita dulcedine et consolatione; licet anima, sicut dictum est, debeat servire ipsi Deo solum propter ipsum, qui est dignus diligi, et serviri debet sibi a qualibet rationabili creatura propter suam summam bonitatem. Deo gratias.

INSTRUCTIO XXXV

<GRATIARUM ACTIO PRO MYSTERIIS SALVATORIS ET DONIS CREATORIS>

(Haec est ultima littera)

Haec est ultima littera quam fecit sanctissima Angela de Fulgineo, mater nostra, antequam infirmaretur ad mortem, asserens tunc istam esse ultimam omnium litterarum. Praescivit enim suum felicem transitum longo tempore ante. Unde cum multo affectu haec verba locuta est, et quasi coegit scriptorem, qui tepidus erat, ad scribendum et dixit.

<Supplex laudat Angela magnum Dei Amorem in incarnatione visibilem>

O Deus meus, fac me dignam ut possim cognoscere altissimum mysterium tuum,

quod fecit ardentissima et ineffabilis caritas tua cum dispensata caritate ab ipsa Trinitate, id est mysterium altissimum tuae Sanctissimae incarnationis quam fecisti pro nobis; quae incarnatio fuit principium nostrae salutis. Et ista incarnatio facit nobis duo: primum est quod implet nos amore; secundum est quod reddit nos certos de salute nostra.

O incomprehensibilis caritas! Supra istam non est maior caritas, quam quod Deus meus fiat caro ut me faciat Deum. O amor evisceratus! Dedisti te ut faceres me quando recepisti formam nostram; non defecisti in te ut aliquid minueretur a te nec a tua divinitate, sed abyssus tuae conceptionis facit me dicere verba ista eviscerata. O Incomprehensibilis, factus es comprehensibilis. O Increate, tu es factus creatura. O Incogitabilis, tu es cogitabilis. O Impalpabilis, tu palpari potes.

O Domine, fac me dignam videre profundum huius altissimae caritatis, quam nobis communicasti in ista incarnatione sanctissima. O felix culpa, quae meruisti nobis ostendere occultissimum divinae caritatis profundum quod nobis absconsum erat. O in veritate maiorem contemplationem ego cogitare non possum. O Altissime, fac me capacem ad intelligendum hanc altissimum et ineffabilem caritatem.

<Quinque mysteria Salvatoris contemplet atque obsecrat, ut eorum magnitudinem plene cognoscere possit>

O Domine, quinque sunt mysteria quae pro nobis fecisti; fac nos, Domine, esse capaces ad intelligendum. Primum est mysterium incarnationis; secundum est mysterium nativitatis Filii Dei; tertium est mors Filii facta pro nobis; quartum est resurrectio; quintum est quando ascendit in caelum.

Tria ergo in ista incarnatione Dei Filii considerare debemus. Primum est amor. O amor summus et transformatus! O divina visio! O Ineffabilis! Quando tu, Jesu Christe, facis me intelligere quod mihi es natus? O quomodo est gloriosum istud intelligere in veritate, quod ego videam et intelligam quod tu es mihi natus. Plenum est omni delectamento. Unde certitudinem quam habuimus ab incarnatione, eandem habemus a nativitate, quia ad illud pro quo incarnatus est, ecce natus est. O Admirabilis, quomodo sunt mirabilia mysteria tua quae fecisti nobis.

Secundum est quod facit nobis incarnatio Filii Dei quia reddit nos certos. Bene certum, quia ad illud, pro quo incarnatus et natus est, habemus praesentiam documenti a Jesu Christo nato, depaupertate, dolore et despectu, quia in ipsis natus est, vixit et finivit.

Tertium est mysterium suae mortis, quia ad hoc natus est ut moriatur pro nobis. Quinque sunt consideranda in ista morte Jesu Christi. Primum, declaratio certificationis nostrae salutis. Secundum est fortificatio et victoria contra inimicos nostros. Tertium, repletio et superabundantia amoris Dei manifestati per ipsam mortem. Quartum est quod replet nos una profunda eviscerata et altissima veritate, id est cognoscere, videre et intelligere quomodo Deus Pater ostendit, docuit, clarificavit et declaravit nobis Filium suum, in ista incarnatione sanctissima et in nativitate et in morte. Quintum est considerare quomodo Filius Dei manifestavit nobis Patrem per oboedientiam, quam servavit per totam vitam suam, et in morte finivit; et per ipsam oboedientiam respondit Deo Patri pro toto humano genere.

Fac me dignam, o increate Deus, cognoscere profundum amoris tui et ardentissimae

tuae caritatis. Fac me dignam intelligere ineffabilem caritatem quam nobis communicasti quando nobis ostendisti Filium tuum Jesum Christum in ista incarnatione, et quando ipse Filius tuus manifestavit te Patrem nobis. O admirabilis et amor iocundus, quia in veritate in te est omnis sapor, omnis suavitas et omne placimentum. Et ista est contemplatio quae elevat animam de mundo et facit eam stare supra se et est pacificata et tranquilla.

Quartum mysterium est resurrectio, in qua duo sunt consideranda. Primum est quod sua resurrectio dat nobis firmam spem de nostra resurrectione; secundum, quod facit nos cognoscere resurrectionem spiritualem quam Deus facit per divinam gratiam quando de mortuo facit vivum et de infirmo facit sanum. O altissimum et admirabile et incognitum mysterium et ineffabile et sacrum, adimplevisti totam opportunitatem nostram. Fac me dignam, Domine, cognoscere istud altissimum mysterium.

Quintum mysterium est ascensionis. O Domine, fac me dignam cognoscere istud altissimum mysterium tuae ascensionis. O amor, fac me dignam et capacem ad intelligendum istud mysterium, in quo mysterio ascensionis est completa et arotundata tota salus nostra. O mi Domine Jesu Christe, misisti nos in possessionem de Deo Patre tuo.

Ista quinque mysteria sunt schola illorum qui sunt veraces scholares; et schola verax, ubi discuntur ista quinque mysteria, est schola continuae orationis. Fac me dignam, Domine, cognoscere et intelligere tuam supernam caritatem cum qua creasti me. Fac me capacem, o Incomprehensibilis, cognoscere et intelligere tuam inaestimabilem et ardentissimam caritatem cum illa eviscerata dilectione qua elegisti humanum genus ab aeterno ad videndum visionem tuam, et dignasti tu, Altissime, velle videre nostram. Fac nos dignos, Domine, cognoscere culpam nostram, ut possimus per eam cognoscere Humanatum quem misisti nobis dispensatum ad ipsam culpam.

<Septem dona Creatoris laudat et gratias agit Deo, obsecrans ut ea totaliter intelligat>

Post haec locuta est de septem donis sive beneficiis specialissimis nobis a divina bonitate collatis. Et dixit: O Domine, fac me capacem, fac me dignam ad intelligendum ista septem dona quae fecisti inter multitudinem donorum quae donasti nobis. Primum donum est ineffabilis creatio.

Secundum est admirabilis electio, qua dignasti nos eligere ante tuam praesentiam.

Tertium est donum inaestimabile quod nobis fecisti quando tuum Filium ad mortem misisti ut dares nobis vitam, quod est donum supra omne donum.

Quartum est donum altissimum tuae bonitatis, quia dignasti me facere sensibilem et rationalem et non bestialem et irrationalem. O Admirabilis, ratio, quam in me posuisti, facit mihi tria: primum est quod me facit cognoscere te Admirabilem; secundum est quod me facit cognoscere peccata mea; tertium est quod ipsa ratio, quae in me est per gratiam, facit contrariare libero arbitrio in malo. O Incomprehensibilis, quia nihil est aliud supra istud donum quod nobis donasti. O Sine Forma Exemplata, quia formasti nos de tua forma quando nos fecisti rationales. O certe, quia induisti nos de te et de tua ratione.

Quintum donum est intellectus. Fac me, Domine, cognoscere istud donum, quia nobis donasti intellectum ut possimus te Deum meum intelligere.

Sextum donum est sapientia. O Domine, fac me dignam cognoscere ardentissimam caritatem tuam, cum qua caritate donasti nobis istud donum, scilicet sapientiam tuam. O in veritate istud est donum omnium donorum, scilicet assaporare te in veritate.

Septimum donum est amor. O Summum Esse, fac me dignam intelligere istud donum quod est supra omne donum; quia omnes angeli et omnes sancti non habent aliud videre, nisi te videre amatum et amare te et te contemplari. O donum quod est supra omne donum, quia tu ipse es et es amor. O Summum Bonum, dignasti nos facere te amorem cognoscere, et facis nos amare talem amorem. Et ideo illi qui veniunt ante tuam praesentiam, erunt satisfacti secundum amorem quem habuerunt. Et nihil aliud est quod ducat contemplatores ad contemplandum, nisi verus amor. O Admirabilis, mirabilia facis in filiis tuis. O supernum Bonum! O incomprehensibilis Caritas ardentissima! O divina Persona, quae dignasti nos sustentare in medio tuae substantiae. O istud est admirabile supra omne admirabile quod facis in filiis tuis. O certe, non est intellectus humanus, qui ad istam substantiam non deficiat, sed cum intellectu divino sentimus divinam substantiam. Et ista est propria arrha illorum qui sunt veri solitarii. Et ideo omnes chori angelorum sunt hic occupati. Et in tali occupatione occupant se omnes illi qui sunt veri contemplatores. Et postea veraciter erunt solitarii et erunt separati a terra; et istorum conversatio in caelis est.

INSTRUCTIO XXXVI

<DE FELICI TRANSITU ANGELAE AD CAELUM EIUSQUE NOVISSIMIS VERBIS>

(Haec sunt verba novissima)

In nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni crucifixi, cuius nomen sit benedictum in aeternum et in saeculum saeculi. Amen. Haec sunt verba novissima quae dixit legitima sponsa Christi Angela de Fulgineo, quando ad suum felicem exitum propinquavit.

<Infirmitate correpta, “in festo angelorum”, extatica in contemplatione coram eisdem nubuit denique Divino sponso>

Primo igitur, circa principium suae infirmitatis, in festo Angelorum de mense septembri, dixit: Dum desiderarem multum communicare in isto festo Angelorum, nec esset qui mihi apportaret sacratissimum Christi Corpus, coepi multum dolere. Et ecce in ipso dolore et desiderio communicandi coepi cogitare pro ipso festo Angelorum in laudem angelorum, id est in exercitio quod habent ipsi angeli in laudare Deum.

Et subito fuit elevata anima. Et ecce maxima multitudo angelorum. Et deduxerunt eam ad unum altare, et dixerunt ei: Hoc est altare angelorum. Et super ipsum altare ostenderunt animae ipsi angeli laudem ipsorum angelorum, id est illum qui est laus angelorum, illum qui est omnis laus. Et dixerunt animae ipsi angeli: In isto qui est super altare est perfectio et complementum sacrificii quod tu quaeris. Et dixerunt: Praepara te ad recipiendum illum, qui te desponsavit anulo sui amoris. Et: Coniungimentum iam factum est, et iterum de novo vult facere coniungimentum.

Et hoc totum sentiebat anima in veritate, quia erat de facto multo plenius quam possit exprimi verbis. Et solum umbra praedictorum, id est memoria quae est quasi quaedam umbra illius veritatis quam tunc sensit anima, solum illa umbra laetificat animam plus quam possum dicere.

<“Circa festum Nativitatis” Domini, dum infirmatur, a tempestatibus animae liberatur>

Postmodum vero ipsa Angela, ultima infirmitate quassata ac mente ipsius abundantius solito in abyssum divinae infinitatis absorpta, interrupte et cum interpolatione loquebatur et raro; verba tamen ipsius, prout capere poteramus qui praesentes eramus, breviter recollegimus, quae sunt haec. Dixit quadam vice, circa festum Nativitatis Domini, quo scilicet tempore ipsa transivit ad Christum: Verbum caro factum est. Et post magnam moram, quasi aliunde veniens, dixit: O omnis creatura deficit! O totus intellectus angelorum non sufficit! Et interrogata a nobis: Ad quid deficit omnis creatura et intellectus angelicus non sufficit? Respondit: Ad comprehendendum. Et postea dixit: O in veritate ecce Deus meus che me ha adtesa la promessa; quia Christus, Filius suus, modo praesentavit me Patri. Dixerat enim ante: Scitis vos quando Christus erat in navi et tempestates erant ibi magnae? In veritate ita est aliquando in anima, quod permittit tempestates venire, et ipse videtur dormire. Iterum dixit: In veritate donec Deus permittat personam totam pistari et suppeditari, non sinit aliquando finiri tempestates. Et hoc facit specialiter suis legitimis filiis.

<Angela filios suos spirituales benedicit postremum, mutuum dilectionem eis enixe commendans>

Item alia vice dixit nobis: O filioli mei, libenter dicerem vobis aliqua verba si scirem quod Deus me non deciperet; scilicet de promissione sui exitus, quia propter desiderium moriendi timebat multum, sicut ipsa dicebat, ne de illa infirmitate liberaretur. Et dixit: Ista quae volo dicere non dico nisi ut vos sequamini illud quod non sum secuta ego. Et hoc non dico nisi propter honorem Dei solummodo, et ut prosit vobis; quia non libenter porto sub terra aliquid quod possit vobis prodesse.

Ecce Deus dicit animae: Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt. O quis est qui mereatur hoc, quod omnia bona Dei sint sua et bona nostra sint Dei et bona Dei sint nostra? O in veritate non est aliud quod mereatur hoc nisi caritas! O filioli mei et patres et fratres, studete vos diligere invicem et habere istam caritatem divinam in veritate; quia per istam caritatem et mutuum dilectionem meretur anima haereditate bona divina. Et ego non facio aliud testamentum, nisi quod recomendo vobis istam mutuum dilectionem, et relinquo vobis totam haereditatem meam, scilicet vitam Christi, videlicet paupertatem, dolorem et despectum.

Et imposuit manum suam super caput singulorum, dicens: Benedicti sitis a Deo et a me, filioli mei, vos et omnes alii qui hic praesentes non sunt. Et sicut significata est mihi et demonstrata a Christo ista aeterna benedictio, ita concedo eam vobis et cum toto corde meo eam do vobis et praesentibus et absentibus; et ipse Christus det eam vobis cum illa manu, quae clavata fuit in cruce. Et illi qui habebunt istam haereditatem, scilicet vitae Christi, et erunt veri filii orationis, non est dubium quod postea habebunt haereditatem vitae aeternae.

Et postea dixit: In hoc quod volo dicere nihil habeo facere, sed totum est Dei. Nam placuit divinae bonitati dare mihi sollicitudinem et curam filiorum suorum et filiarum qui sunt in mundo, qui sunt ultra mare et citra mare; et custodivi eos et doloravi eos, et dolores mei fuerunt plures quam sciatis. Et dixit: O Deus meus, amodo reassigno eos tibi, ut tu custodias et conserves eos ab omni malo.

Et postea dixit: O filioli mei, studeatis habere istam caritatem ad omnes homines; quia

in veritate dico vobis quod plus recepit anima mea de Deo quando ploravi et doloravi peccata proximi cum toto corde meo, quam quando ploravi peccata mea. Et in veritate non est maior caritas in terra quam dolorare peccata proximi. Mundus trufat se de hoc quod dico, quia videtur esse contra naturam, scilicet quod homo possit dolorare et plorare peccataproximi sicut sua vel plus quam sua; sed caritas quae hoc facit non est de hoc mundo. O filioli mei, studeatis vos habere istam caritatem.

Et neminem iudicetis, etiam si videritis hominem peccare mortaliter. Non dico quod non displiceat vobis peccatum et quod non debeatis abhorreere peccatum; sed dico quod non iudicetis peccantes, quia nescitis iudicia Dei. Nam multi videntur apud homines salvati, qui apud Deum sunt damnati; et multi apud homines videntur damnati, qui apud Deum sunt salvati. Et scirem vobis dicere quod aliqui sunt, quos vos despexistis et vadunt siarando, id est destruendo bona incoepa, de quibus ego habeo firmam spem quod Deus reducet eos ad viam suam.

<Sicut sponsa parata ad nuptias praegustat adventum Divini sponsi>

Item alia vice dixit quod anima sua fuit levata, et mundata et subpozzata in sanguine Christi, qui erat ita recens et calidus sicut exiret de corpore Crucifixi. Et dictum fuit animae tunc: Hoc est illud quod mundavit te. Et respondit anima: O Deus meus, ero decepta? Et dictum fuit sibi: Non.

Et anima audivit sibi dici ista verba: O sponsa, o speciosa, o amata a me cum dilectione. In veritate nolo quod venias ad me cum istis doloribus sed cum iubilo et laetitia inenarrabili, sicut decet regem ducere sponsam diu amatam cum regio vestimento. Et demonstravit mihi vestimentum quod demonstrat sponsus sponsae diu amatae. Et hoc non erat de purpura nec de scarleto nec de cendato nec de samito, sed erat quoddam lumen mirificum quo vestitur anima. Et tunc etiam ostendit mihi Verbum, ita quod modo intelligo quid est Verbum et quid est dicere Verbum. Et dixit mihi tunc: Hoc est Verbum quod voluit incarnari pro te. Et tunc etiam transitum fecit per me, et totam me tetigit et amplexatus est me.

Et dixerat mihi ante: Veni dilecta mea, speciosa mea, amata a me cum dilectione. Veni, quia omnes sancti expectant te cum magna laetitia. Et dixit etiam hoc: Ego non committam te angelis nec aliis sanctis ut te deducant, sed ego personaliter veniam pro te et assumam te ad me. Dixerat enim mihi longo tempore ante: Tu es facta conveniens mihi, et es altissima in mea maiestate.

<Tandem admonet discipulos, ut parvi et humiles sint in cunctis “sufficientiis”, sive temporalibus sive spiritualibus>

Item alia vice dixit : Maledictae sint sufficientiae quae tollunt animam, scilicet potentiae, honores et praelationes. O filioli mei, studeatis esse parvi.

Et postea clamavit dicens: O nihil incognitum! O nihil incognitum! In veritate non potest anima habere meliorem visionem in isto mundo, quam videre suum nihil et stare in suo carcere. Et maior deceptio est in sufficientiis spiritualibus quam in temporalibus, scilicet scire loqui de Deo, facere paenitentiam magnam, intelligere Scripturas et habere cor quasi continue occupatum in rebus spiritualibus, quia isti multotiens in errorem cadunt et difficilius corriguntur et reducuntur, quam illi quitemporales habent sufficientias. Et iterum clamavit dicens: O nihil incognitum! O nihil incognitum!

<Animam suam Deo commendat et “quasi leniter dormiens” cum iucunditate requiescit in pace>

Item alia vice quando erat prope transitum, scilicet die praecedenti, dicebat frequenter: Pater, in manus tuas commendo animam et spiritum meum. Et semel post dictum verbum dixit nobis: Modo ad istud verbum responsio mihi facta est talis: Quod impressum est cordi tuo in vita, impossibile est quod non habeas in morte. Et tunc diximus ei: Ergo vis recedere et relinquere nos? Et illa respondit: Tantum celavi vobis quod amodo non celo plus, quia omnino debeo recedere.

Et tunc, eodem scilicet die, cessantibus doloribus cunctis, quibus multis diebus ante per membra singula interius et exterius horribiliter tormentata fuerat et afflicta, in tanta quiete corporis et spiritus iocunditate iacebat, quod iam videbatur de promissa sibi laetitia aliquid degustare. Et tunc interrogavimus eam si praedictus iubilus erat sibi datus adhuc. Et illa respondit quod iam incoeperat iubilus supradictus. Et in hac quiete ac mentis iocunditate usque post Completorium diei Sabbati laetissima iacens, multis fratribus circumstantibus eam et mysteriorum officia exhibentibus, ipsa die, scilicet octava Innocentum, ultima hora diei, quasi leniter dormiens requievit in pace.

Et anima illa sanctissima, carne soluta et in abyssum divinae claritatis absorpta, innocentiae et immortalitatis stolam a Christo sponso suo recepit, perenniter regnatura cum ipso. Quo nos perducatur per virtutem sanctissimae suae crucis et per merita sanctissimae suae Matris et per intercessionem nostrae sanctissimae matris ipse Filius Dei Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

<NOTIFICATIO>

Transit autem venerabilis sponsa Christi Angela de Fulgineo ex huius mundi naufragio ad caeli gaudia, longo sibi ante tempore iam promissa, anno Dominicæ incarnationis MCCCIX, pridie nonas Ianuarii, tempore domini Clementis papae V. Deo gratias. Amen.

<PERORATIO VEL EPILOGUS>

Ne inflatura mundanae sapientiae animalis, terrena, et diabolicae inflati spiritus magistrorum, qui magna dicunt et minima non faciunt, remaneret ab aeterna Dei sapientia inconfusa, suscitavit Deus mulierem saecularis status, mundo obligatam, viro, filiis et rebus et divitiis irretitam, scientia simplicem viribus impotentem; quae, virtute sibi divinitus infusa, per virtutem crucis Christi Dei et hominis, vincula mundi rupit, apicem perfectionis evangelicae ascendit, et per sanctam stultitiam crucis Christi perfectorum sapientiam renovavit, et oblitteratam viam boni Jesu, quam excelsi gigantes tam per verba quam per opera inobservabilem asserebant, non solum possibilem ostendit et facilem, sed etiam summas delicias animae virtuosae ostendit.

O sapientia caelica perfectionis evangelicae, quomodo cum aeterno Deo stultam fecisti sapientiam huius mundi, et tu, aeternae Deus, in ipsa: dum contra viros, feminam; contra inflatos, humilem; contra astutos, simplicem; contra litteratos, idiotam; contra religiosam hypocrisim, sanctum propriae condemnationis despectum; et contra linguatos otiosos et manus remissas, stupendum calorem operum et verborum silentium; et contra prudentiam carnis, prudentiam spiritus, quae est scientia crucis Christi, <opposuisti>. Unde in muliere forti apparet quod in speculatoribus viris

caecis erat carnali expositione sepultum.

Procul ergo a sanctae geniturae filiis omnis pudor abscedat, et ab Angela magni consilii viam divitiarum sapientiae crucis Christi addiscite, quae est paupertas, dolor et despectus <et vera oboedientia> boni Jesu et dulcissimae suae Matris, quam viros et mulieres et omnem creaturam lingua efficacium operum doceatis. Et ut gloriemini in vocatione tanti discipulatus, scitote, carissimi, ipsa est doctrix disciplinae Dei et electrix operum illius.

Et vere ipsa est candor lucis et speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest. Et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, et omnes filios suos amicos Dei et prophetas veritatis constituit. Et vere neminem diligit, qui Angelam, immo viam et vitam Christi et doctrinam impugnat. Extrahitur hoc de libro Sapientiae VII et VIII c.

Recordemini, carissimi, quod Christi primo passibilem vitam apostoli praedicantes, eam post mortem resuscitatam a femina didicerunt. Sic, carissimi filii sanctae matris, regulam in carnalibus mortuam post passuram a nostris primis parentibus apostolis beato Francisco et eius sociis, praedicatam nunc in observantia sanctae matris, una mecum discite immortalem. Nec est contra ordine providentiae, in opprobrium virorum doctricem facere mulierem, cui in mea notitia non est similis super terram. Quia et beatus Hieronymus dicit de Oida prophetissa ad quam concurrebat populus, quia in opprobrium virorum et doctorum legis, qui erant transgressores mandati, est ad femineum sexum prophetia translata. Deo gratias semper. Amen.